

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-765435-p0001-7

V

(alte Nr. 47.)

Enth. 3 Schriften von

00/R Bibliander, Th.

00a

M. IV. 51.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-765435-p0002-2

# De ſumma trinitate &

## FIDE CATHOLICA:

DE CHRISTIANIS CATHO-
licis, hæreticis & apoſtatis:

DE SACRAMENTIS FIDEI, ET
unionis Chriſtianæ:

DE POTESTATE, IVRE, ET RE-
ligione Papiſtica:

*Imperatorum Chriſtianiſſimorum leges atq; conſti-
tutiones præcipuæ, & Rom. Pontificum decretales:
Cum interpretatione compendioſa rerum
& uerborum.*

Quæ THEODORVS BIBLIANDER ex probatis autho-
ribus conſcripſit, & omnibus ſacris ordinibus Chriſtianæ reipub.
obtulit, cum debita reuerentia: ut perſpectis fundamentis Chriſtia-
niſmi ueri & ſempiterni, ac noui & Papiſtici Chriſtianiſmi, omnes
de controuerſijs eccleſiæ rectius iudicare queant: habeantq; or-
thodoxi Chriſtiani (quos Papa Rom. iniuſtè perſequitur, quia non
quibuslibet illius edictis obtemperant) inculpatam, iuſtam & legiti
mam defenſionem, itemq; ſolidam conſolationem, & confirmatio-
nem: utq; Papiſtici non diutius reluctetur unioni ſan-
ctarum eccleſiarum Chriſti.

*Erit unus paſtor, & unum ouile.*

BASILEAE.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-765435-p0003-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-765435-p0004-4

## *AD OMNES SACROS ORDInes totius reipublicæ Chriſtianæ, Oratio Theodori Bibliandri, quæ reddit cauſas editi huius ſcripti.*

NON dubium eſt, Principes Chriſtiani, quin multi abhorreant à Chriſtianiſsimo uero & ſempiterno, quē prophetæ & apoſtoli tradiderunt in libris diuinis utriuſq; Teſtamenti, & qui ſummatim ad captum etiā rudium & puerorum in Symbolo fidei, & Decalogo, & Dominica precatione expoſitus eſt: aliqui etiā magiſtratus pœnis afficiant Chriſtianos catholicos & orthodoxos, qui diſcrepant in dogmatibus, aut ritibus quibuſdam à Papa Romano, ex ignorantia, & non ex malicia. Quemadmodū Paulus Beniamita zelo erga Moſaicam religionem, Eccleſiam & pios cultores Chriſti ſummopere inſectatus eſt: poſtea uerò in cognitionē Meſsiæ IESV Nazareni per Domini gratiam adductus, Euangelij præco, & nominis Chriſtiani propugnator acerrimus extitit. Quemadmodum etiam Romani principes, Nero, Domitianus, Diocletianus, & alij Cęſares, cum ſenatu populoq; Romano crudeliſsimè ſæuierunt in Chriſtianos: rurſum Conſtantius Chlorus, & eius filius Conſtantinus maximus, Theodoſius, Gratianus, Martianus, Leo, Iuſtinianus, & multi Rom. imperatores fidem catholicam & Eccleſiam Chriſti ampliarunt & ornarunt, & tutati ſunt ualidiſsimè. Neq; Domini Dei manus & potentia & gratia defecit, ut hodie quoq; non poſsit eandem rerum uiciſsitudinem introducere.

*Aliqui ex ignorantia abhorrēt à Chriſtianiſmo ſimplici.*

*Paulus perſecutor Eccleſiæ, idemq; propugnator.*

*Romani principes hoſtes Eccleſiæ & amici.*

Pleriſq; imponit exiſtimatio uana de Ro. pontifice, & eccleſia Ro. dum putāt ſolā Ro. eccleſiā eſſe apoſtolicā, ſanctā, catholicā: & proinde ſchiſmaticos & hære-

*Larua Rom. eccleſiæ, decipiens multos.*

ticos, & apoſtatas, & dignos qui pœnas dent in legib. imperatorũ Ro. decretas hoſtib. eccleſię & fidei catholicæ, qui diſcrepant à Papa & eccleſia Rom. in dogmatibus uel cæremonijs. Vt igitur bonos uiros ab errore noxio pro mea uirili portione liberarem, & catholicis Chriſtianis patrocinarer, ſuſcepi, Domino CHRISTO fretus, explanationem tituli primarij, tum ciuilis tum pontificij iuris: & leges Romanorum tum Auguſtorum tum pontificum maximorum, expoſitione hiſtorica & grãmatica interpretatus ſum. Vt leges quę omnibus latę ſunt, ad omnes pertinent, omnes obſtringunt, ab omnibus etiam intelligantur. Ac perſpiciantur in illis legibus firmamenta fundamentaq; papiſticę inſtitutionis, & ex oppoſito principia, origines, ſucceſſio, progreſſus eius religionis Chriſtianæ, quam Papa cum eccleſia ſua Rom. pœnis atq; ſupplicijs perſequitur ſub nomine Lutheranorum & Zuinglianorum.

*Cauſæ huius ſcripti.*

Si quis uerò, Chriſtiani principes, reprehendendũ iudicauerit, quòd triuialis grammaticus legum ſacrarũ & canonum expoſitionem ſum aggreſſus, is cogitet, in quouis argumento & materia dialecticum agere dialecticum, philoſophum agere philoſophum, iuriſconſultum agere iuriſconſultum, canoniſtam agere canoniſtam. Ita grãmaticus uerſatur etiã in ſacris, in prophanis libris & literis, in theologorũ, conſultorum, canoniſtarum, & decretiſtarum libris. Vbiq; ſuam operam accommodat: ubiq; uerba & res interpretatur. Omnibus uerò Chriſtianis, maximè theologis & iuris diuini atq; humani peritis meas opellas iudicãdas permitto, promptiſsimè emendaturus, quicquid minus conuenienter ſcriptum eſſe didicero: & plenius ſatisfacturus illis, qui meam ſententiam non aſſecuti ſunt.

*Defenſio Chriſtianorum.*

Quod patrocinium & defenſionem Chriſtianorum adtinet, quos Papa Rom. pœnis afficit, & inſtigat, principes Chriſtianos, & ciuitates ac populos ut idem faciant:

ant: quia uidelicet non parent omnibus traditionibus illius, quarum aliæ pugnant ex diametro cum ueteri ac uero puroq́ Chriſtianiſmo, aliæ ſunt obſeruationis liberæ, & indifferentes, aliæ friuolæ, ſuperuacuæ, ſtultæ: breuiter ita condico, & denuncio papiſticæ cauſæ actoribus. Allegantes iura potiora, debent etiam habere cauſam potiorem. Romani Papæ & eccleſiæ Ro. præſcriptiones eiuſmodi fermè ſunt. Enimuero quia in ſpeculum & exemplum ſancta Romana eccleſia, cui nos Chriſtus præeſſe uoluit, poſita eſt, omnibus quicquid ſtatuit, quicquid ordinat, perpetuò irrefragabiliter obſeruandum eſt. Hæc Stephanus V. Papa Rom. diſt. 9. Et ibidem Agatho Papa: Sic omnes ſanctiones apoſtolicæ ſedis accipiendæ ſunt, tanquam ipſius diuina uoce Petri firmatæ. Quæ antiquiores conſtitutiones, & quidem Rom. principum Chriſtianiſsimorum domini Iuſtiniani, & Conſtantini magni, longè magnificentius & copioſius decernunt.

*Fundamenta & principia Rom. Papæ & eccleſiæ.*

Contra quam præſcriptionem principes Chriſtiani attendite obſecro, quid opponam. Dico ſuppoſitas & effectas, & ementitas eſſe, quas papiſtici aſſerunt, Conſtantini donationem & Iuſtiniani conſtitutionē quartam lib. 1. Cod. de ſumma trinitate & fide catholica. Et niſi planum fecero, non recuſo pœnam temerè litigantium. Præterea uni fundamento & principio & maximæ propoſitioni, ex qua ſuas concluſiones papiſtici extrahunt, ut araneus telam ex ſuo corpuſculo, plures, antiquiores, potiores oppono. Et clara uoce aduerſarijs ſimplicium Chriſtianorum denuncio, eam religionem & doctrinam fidei, quæ ſymbolo Nicæno uel Romano apoſtolorum, & in Decalogo diuinę maieſtatis atq́ precationis Domini CHRISTI ſolenni & concepta forma continetur, habere teſtimonium locuples, primùm in uerbo Dei, & ſacroſanctis libris: ſecundò in decretis conciliorum uniuerſalium: tertiò in legibus

*Fūdamenta & principia oppoſitæ partis.*

Rom. principum, & quidem Chriſtianiſs. Cæſarum: quartò in ſcriptis uetuſtiſsimorũ theologorum, & doctiſsimorum & ſanctiſsimorum Eccleſiæ doctorum: quintò à philoſophia ſyncera, & lege ſcripta in mentes hominum: ſextò à Romanis pontificib. antiquiſsimis, doctiſsimis & ſanctimoniç probatioris, Clemente, Damaſo, Gregorio magno: ſeptimo in iure canonico & pontificio, qua parte optimum eſt. Hęc bona ex parte in hoc ſcripto plana faciam, Chriſtiani principes: & ſi meam operam non damnatis, neq; aſpernamini, alijs in ſcriptis, quæ congeſsi, uberius hanc probabo conditionem. Quum uerò cauſa noſtra, qui Lutherani & Zuingliani uocamur, nitatur firmiori fundamento, & habeat iura potiora, & plura & antiquiora: quæ eſt illa infelicitas, propè dixiſſem iniquitas, quod non habemus etiam cauſam meliorẽ? Tametſi principes Chriſtiani ſpero, quum penitius introſpecta fuerint utriusq; partis firmamenta & fundamenta, quod hactenus non eſt factum, ſecutura etiam eſſe hominum Chriſtianorũ æquiora iudicia.

*Vnio eccleſiarũ & politiarum.*

Eſt etiam alia quædam maxima utilitas harum legũ: ut relictis contentioſis, & priuati emolumẽti cauſa tornatis ſanctionibus, in ſanctiſsimis legibus imperatorũ Rom. principes uiri & uulgares Chriſtiani cernant ueram ſolidamq; unitatem fidei, eccleſiæ, imperij, & omnium politiarum: quibusq; uijs, modis, ac rationibus ad eam pertingere poſsimus & debeamus. Nam multi conati ſunt homines cogere in unam fidem, ac legem, & imperium: ſed fruſtra omnes, & infeliciter, quicunque non in ſumma trinitate ac fide catholica unionem populorum quæſierunt.

*Hilarij ſententia de unione.*

De quo ſapientiſsimè & in primis piè, meo equidẽ iudicio, pronunciauit Hilarius epiſcopus Pictauiẽſis, Nicænæ fidei acerrimus uindex, qui ad epiſcopos & populos in fide catholica perſeuerantes, cõtra Mediolanen-

lanenſem epiſcopum Arianum Auxentium ita ſcribit: Specioſum quidem nomen eſt pacis, & pulchra eſt opinio unitatis. Sed quis ambigat, eam ſolam Eccleſię & Euangeliorum unitam eſſe pacem, quæ Chriſti eſt: quam ad Apoſtolos poſt paſsionis ſuæ gloriam eſt locutus, quam ad æterni mandati ſui pignus commendauit abiturus: Hanc nos fratres dilectiſsimi & amiſſam quærere, & turbatam componere, & repertam tenere curauimus. Sed huius nos fieri uel participes, uel authores, nec temporis noſtri peccata meruerunt, nec imminentis Antichriſti præuij miniſtriq́ ſunt paſsi. qui pace ſua, id eſt, impietatis ſuæ unitate ſe iactant: agentes ſe non ut Chriſti epiſcopos, ſed Antichriſti ſacerdotes. Oſtendit autem Hilarius ſolidam pacem & unitatem Eccleſiæ CHRISTI eſſe, ſi baptizati in nomen trinitatis conſubſtantialis, eam fidem retineant, & cōfiteantur, quam & CCCXVIII ſancti patres in concilio Nicæno profeſsi ſunt.

Idem iudicauit Acacius patriarcha Conſtantinopolitanus, qui Zenoni imperatori conſilium dedit, quomodo poſſet ac deberet eccleſias turbatas reducere ad concordiam. Eiq́ præformauit ἑνωτικὸν, id eſt, conciliatorium & unitorium ſcriptum, quo miſſo in Africam & metropolim Alexandrinā, & alias eccleſias atq́ politias in tranquillitatem reſtituit: ut Nicephorus ſcriptū reliquit libro 16. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, 12. capite. Id quum oſtendat uias & rationes ac modum non modò reparandi amiſſam pacem eccleſiarum, & labefactas partes uel eccleſiæ uel politiæ, uerumetiam conſeruandi partes integras, & quanti fecerint Chriſtiani omnes ſymbolum Nicænum, de quo leges imperatoriæ toties loquuntur, uiſum eſt henoticum illud huc adſcribere.

*Acacij patriarchæ iudicium.*

Imperator Cæſar pius, uictor, triumphator maximus, ſemper colendus Auguſtus, Alexandrinis,

drinis, & qui per Aegyptum & Libyam & Pentapolim ſunt, religioſis epiſcopis, & clericis, & monachis, & laicis.

*Imperij firmiſs. & unicum praeſidium fides catholica.*

Quum imperij noſtri initium & cōſeruationem, tum autem opes atq; armaturam inexpugnabilem perſuaſum habeamus, eſſe ſolam rectam & ueram fidem, quam diuina inſpiratione Nicææ CCCXVIII. ſancti patres congregati promulgarunt, & Conſtantinopoli CL. itidem patres ſancti coacti confirmarunt: diu noctu'q; precationibus, ſtudijs, legibus'q; noſtris omnibus hoc agimus, ut per eam ubiq; locorū ſancta Dei catholica et apoſtolica Eccleſia incremēta capiat, quæ incorruptibilis eſt, & immortalis ſceptrorū noſtrorū mater: & pij populi noſtri in pace & religionis diuinæ concordia perſiſtentes, acceptabiles pro imperio noſtro preces unà cum Dei amātiſsimis epiſcopis, & pijſſimis clericis, & archimandritis, & monachis fundant.

*Definitio fidei catholicæ per ſymbolū Nicænum.*

*Per catholicam fidem eccleſia Dei capit incrementa. Eccleſia uerò catholica non Ro. uel Conſtantinop. ſola.*

*Vnionis Chriſtianæ bona ingentia.*

Quum enim magnus Deus & ſaluator noſter Chriſtus Ieſus, qui ex ſancta uirgine, & Dei genitrice Maria, incarnatus & natus eſt, δοξολογίαν, id eſt laudes diuinas, glorificationem & ſacrum noſtrum cultum conſentientem laudauerit, benigne'q; ſuſceperit: tum gentes hoſtiles cōterentur, atq; extinguentur, & omnes colla ſua imperio ſecundum Deum noſtro ſubmittent. Pax etiam & quę ex pace proueniunt bona, cœli ſa-

*Imperium primò Dei, poſtea imperatoris.*

li ſalubritas frugum ubertas, aliaq́ue quæ homini bus commoda ſunt, liberaliter ſuppeditabunt.

Itaque quum fides irreprehenſibilis, & uos & imperium Romanum ſic conſeruet, preces nobis à pijs Archimādritis, & eremitis, alijsq́ue uenerandis uiris oblatæ ſunt: qui cum lachrymis nobis ſupplicarunt, ut unionem in ſanctiſsimis eccleſijs fieri, & membra mēbris coniungi, quæ honeſtatis pietatisq́ue inimicus ab annis plurimis ſegregare eſt conatus, curaremus.

*Fides Chriſtiana imperium cō ſeruat.*

*Archimandritæ monaſteriorum & cœnobiorū præſides, ut hodie abbates, priores, guardiani, &c.*

Equidem inimicus bene nouit, ſi integro & coniuncto Eccleſiæ corpori bellum inferat, uictum ſe iri. Qui etiam effecit, ut infinitæ gentes & generationes, quas tot annorum tempora ex hac uita ſubduxerūt, partim abſque lauacri regeneratione obierint, partim ſine diuinæ cōmunionis perceptione ad ineuitabilē illam omnium migrationem trāſierint: & ut cædes innumerabiles patratæ ſint, ita ut ſanguinis unda nō ſolum terra, uerùm etiam aer ipſe cōtaminatus ſit, & infectus. Quæ omnia quis eſt qui non in melius mutari exoptet?

*Diſcordiæ in eccleſijs & politijs author cacodæmon: & quæ inde mala.*

*Sacramenta neglecta.*

*Cædes horrendæ.*

Quapropter ſcire uos uolumus, neque nos, neque quæ ubique locorū ſunt, eccleſias, aliud ſymbolum, aut doctrinam, aut formulam fidei, aut fidem etiam, præterquam quod ſicuti dictum eſt, à CCCXVIII. ſanctis patribus editum, & à CL. quorum mentionem etiam fecimus, ſanctis patribus comprobatum eſt, ſanctum ſymbolū

*Confeſsio imperatoris ſimplex & aperta.*

*Symboli Nicæni ſumma ubique authoritas & perpetua.*

uel habuiſſe, uel habere, uel habituros eſſe: neq; aliquos qui habeant ſcire, atq; ſi quis etiam habeat, alienum illum putare. Nam id ſolum ſymbolum, quẽmadmodum diximus, imperiũ noſtrum conſeruare confidimus. Et populi uniuerſi qui ſalutarem conſequuntur illuminationem, hoc ſolo recepto baptizantur. Hoc etiam ſecuti ſunt ſancti patres Epheſi congregati, qui impium Neſtorium & opinionis eius poſtea ſectatores condemnarunt. Quem ſanè Neſtoriũ unà cum Eutychete, quòd diuerſa ab eis quę dicta ſunt, ſentiant, anathemate ferimus: duodecim etiam capita illa à ſanctę memoriæ Cyrillo ſanctæ catholicæ Alexandrinorum eccleſiæ archiepiſcopo promulgata recipientes.

*Illuminatio, φωτισμὸς, olim baptiſmus dicebatur, ut Iuſtinus & Dionyſius docent.*

*Dãnatio hæreticorũ æquior & modeſtior quàm epiſcoporum.*

Profitemur aũt unigenitũ filium Dei & Deũ, qui uerè homo factus eſt, dominum noſtrũ IESVM CHRISTVM: qui conſubſtantialis eſt patri ſecundum diuinitatem, & idem conſubſtantialis nobis iuxta humanitatem: qui deſcendit & incarnatus eſt ex ſpiritu ſancto, & Maria uirgine & Dei genitrice: unum eſſe, & non duos. Vnius enim eſſe dicimus et miracula, et perpeſſiones, quas ſponte ſua carne pertulit.

*Articuli fidei, præſertim de Ieſu Chriſto.*

*Vnus Chriſtus non diuiſus, contra Neſtorium.*

*Maria θεοτόκος.*

Eos uerò qui eum diuidunt, aut cõfundunt, aut phantaſiam ſeu ſpectrum inducunt, haudquaquã approbamus. Et pura, labiſq; peccati omnis expers, ueráq; ex Dei genitrice incarnatio acceſſionem filij non adtulit: & trinitas uno trinita-

*Dãnãtur hæretici Neſtoriani, Eutychiani, Marcionitæ, Aphthartodocitæ, &c.*

trinita-

trinitatis eius Deo uerbo incarnato, trinitas permanſit.

*Symboli Nicæni authoritas ſumma.*

Quum igitur ſciamus necꝫ ſanctas quę ubicꝫ ſunt, & orthodoxas Dei eccleſias, neque qui eis præſunt Dei amantiſsimos ſacerdotes, necꝫ imperialem noſtrã ſublimitatem, ſymbolũ aliud, aut fidei decretum, præter eam quam diximus, ſanctam doctrinam & formulam uel antea tuliſſe, uel nunc ferre: coniunximus nos per unionem inter nosipſos, nihil addubitantes, nihil'cꝫ cunctantes.

*Vniendi ratio.*

*Imperator claré proteſtatur, ſe nõ adferre nouam fidem.*

Atcꝫ hæc ſcripſimus, non ut noui quicquam de fide afferremus, ſed ut uos per certam perfectam'cꝫ doctrinam cõfirmaremus. Quemlibet uerò qui aliud quicquã ſenſit, aut ſentit, aut nũc aut quandocuncꝫ, uel Chalcedone, uel in quacuncꝫ ſynodo alia, anathemati ſubijcimus: pręcipuè uerò quos diximus, Neſtorium, & Eutychetem, & qui cum eis idem ſentiunt.

*Nam Chalcedoni quidam noluerunt ſubſcribere pijs decretis.*

*Exhortatio ad unitatẽ fidei catholicæ & eccleſiæ.*

Coniungite ergo uos per unionem ſpirituali matri eccleſiæ, & diuina eius in ea communione fruimini, per id quod dictum eſt, unum & ſolum CCCXVIII. ſanctorum patrum profeſsionis fidei decretum. Ipſa enim ſanctiſsima mater ueſtra eccleſia, uos ut germanos natiuos'cꝫ filios circũfuſis ulnis amplecti deſiderat, & ſuauem ueſtrã uocem aliquãdo tandem audire cupit. Itacꝫ uos ipſos incitate, atcꝫ urgete. Quod ſi feceritis, tum Domini & ſeruatoris & Dei no-

*Præmia in fide catholica perſeuerantium.*

ſtri IESV CHRISTI benignitatem uobis ipſis conciliabitis, tum ab imperiali noſtra amplitudine laudem eximiam feretis.

# DE SVMMA TRINITATE ET FIDE CATHOLICA. Liber primus.

*Beneficium Dei per Iuſtinianum exhibitum.*

QVALE quantumcꝫ beneficium diuina ſimul bonitas & ſapientia contulerit per diuum Iuſtinianum Cæſarem, non modò imperio Rom. uerùm etiã ſanctis eccleſijs Chriſti, paucos uideo perpendere. Quod fortaſſe ferendum æquius foret, ſi duntaxat mei ordinis homines, hoc eſt uulgus literatorum & grammatiſtarum, iniquius, uel certè imperitius de uiro præclariſsimè de repub. Chriſtiana merito iudicaret: ac non magni profeſſores legũ ſacrarum & ſacroſanctæ theologię eum criminarẽtur, imò damnarent iuſtiſsimum imperatorem peculatus, & neſcio de quantis flagitijs. Alius enim quiritatur, Iuſtiniani præpoſtero ſtudio decurtandi leges, optimos authores interemptos. Alius repugnantiam legũ, aut obſcuram breuitatem: alius Aſiaticam, ne dicam Thraſonicam grandiloquentiam in eo, ſi dijs placet, uituperat.

Ego uerò in nullius horum ſententiã iuratus, cẽſeo, non eſſe uanam iactationem religioſi, & prudentis, & moderatiſsimi principis: ſed religioſam beneficiorum Dei prædicationem, quum de ueteri iure enucleando ad ſenatus & omnes populos ita loquitur: Omni Romani iuris diſpoſitione compoſita, & in tribus uoluminibus, id eſt, Inſtitutionum, & Digeſtorum, ſeu Pandectarum, nec non Conſtitutionum perfecta, & tribus annis conſummata: quæ ut primùm cœpit, neque in toto

*Opus emendati iuris Romani.*

decennio compleri ſperabatur, omnipotenti Deo & hanc operam ad hominum ſuſtentationem pijs obtulimus animis, uberesq́ gratias maximæ deitati reddidimus: quæ nobis præſtitit & bella feliciter peragere, & honeſta pace potiri: & non tantum noſtro, ſed etiã omni æuo tam inſtanti quàm poſteriori leges optimas ponere. Omnibus itaq; hominibus eandem ſanctionem manifeſtã facere, neceſſarium eſſe perſpeximus. Vt ſit eis cognitum, quanta confuſione & iniquitate abſoluti, in quantam moderationem & ueritatem legitimam peruenerint: legesq́ in poſterum habeãt tam directas quàm compẽdioſas, omnibusq́ in prõptu poſitas, & ad poſsidendi libros earum facilitatem idoneas. Vt non mole diuitiarum expenſa, poſsint homines ſuperuacuæ legum multitudinis adipiſci uolumina: ſed uiliſsima pecunia facilis eorum comparatio pateat tam ditioribus quàm tenuiorib. minimo precio magna prudentia reparanda. Et poſtea: Hæc igitur omnia ſciẽtes patres conſcripti, & omnes orbis terrarum homines, gratias quidẽ ampliſsimas agite ſummę diuinitati, quæ noſtris temporibus iam ſaluberrimum opus ſeruauit. Quo enim antiquitas digna non eſt uiſa diuino iudicio, hoc noſtris temporibus indultum eſt. Has itaq; leges & adorate, & obſeruate, omnibus antiquioribus quieſcentibus.

Poſſem, licet iuris ciuilis ſcientiæ addictus non ſim, Iuſtiniani uituperatoribus copioſè reſpondere, ac demonſtrare, ipſum diuum Iuſtinianũ laudatiſsimis principibus conferri poſſe, pleriſq; etiam præferri: opus aũt illius, uel potius theſauros ſapientię, lõgè ſuperare omnia opera ſecundum ſacros libros utriusq; Teſtamenti, quæcunq; homines docti elaborarunt ingenio, aut reges atq; populi manu & opibus conſtruxerunt. Sed ero contentus in præſentia ijs, quæ Iuo Carnotenſis epiſcopus in ſecundo lib. Pannorniæ ſuæ ſcripſit, ex hiſto-

ria Longobardorum.

*Iuſtiniani libri.*

Iuſtinianus Auguſtus leges Romanorum, quarum prolixitas nimia erat, & inutilis diſſonãtia, mirabili breuitate correxit. Nam omnes cõſtitutiones principum, quæ utiq; multis uoluminibus habebantur, intra XII libros coarctauit: idemq; uolumen, codicem Iuſtiniani appellari præcepit. Rurſus ſingulorum magiſtratuum ſiue iudicum leges, quæ uſq; ad duo millia penè libros erant extentæ, intra L. librorũ numerũ redegit: eumq; Codicem digeſtorum, ſiue quòd Iuſtinianus diuerſa legis uolumina diuerſis nominib. appellauit, Pandectarum uocabulo nuncupauit. Quatuor enim inſtitutionum libros, in quibus breuiter uniuerſarum legum textus comprehenditur, nouiter compoſuit. Nouas quoque leges, quas ipſe ſtatuerat, in unum redactas, codicem nouellarum appellari ſanciuit. De ultimo libro nouellarum, ſic enim Græcè uocauit, νεαρὰς uidelicet διατάξεις, ſiue authenticarum, ut poſtea interpretes legũ nominarunt, ſcribit Anaſtaſius Rom. bibliothecarius: Remouit Iuſtinianus Auguſtus contrarias regulas, faciens ſingularem codicem, & uocans eum nouellas inſtitutiones. & reliqua.

*Raph. Volaterrani iudiciũ de Iuſtiniano.*

Candidè igitur & ſapienter, meo equidem iudicio, pronũciauit de Iuſtiniano Raphael Volaterranus Cardinalis. Sic enim ſcripſit in Pręfatiõe Latini Procopij: Iuſtinianum principem, ſi res eius domi foriſq; recenſeas, nulli priorum ſeu poſteriorum imperatorum, poſthabito Conſtantino illo magno, qui primus libertati trepidam religionem reſtituit, inferiorem gloria iudicabis. Cuius ex ocio leges foro, ac mores populis perpetuò manauerunt: ex negotio uerò res Chriſtiana incolumis ſeruata, quo ſine fruſtra iamdudũ apoſtolica fundamenta iacta fuiſſent. Et reliqua.

*Titulus de ſumma trinitate, & fide catholica.*

Sed quod ad noſtrum inſtitutum maximè pertinet, conſideremus paulo diligentius titulum De ſumma trinitate

nitate & fide catholica, quem ſingulari uel potius diuina quadã ſapiẽtia diuus Iuſtinianus cũ ſuis cooperarijs loco primo poſuit: & tres cõſtitutiones germanas Chriſtianiſsimorũ principũ, ſub hoc titulo auguſtiſsimo poſitas inſpiciamus. Nam de quarta ſuppoſititia, ſuo loco dicetur. Primùm enim definiunt, quid ſit fides orthodoxa & catholica: nempe quæ credit & confitetur unũ Deum uerũ, & tres perſonas, Deum patrem, Deum filium, Deum ſpiritum ſanctum, unius & eiuſdem eſſentiæ atq; naturæ: quod Græci dicunt ὁμοούσιον. Quę credit etiam unum ex trinitate filium Deum, propter noſtram ſalutem incarnatum: & credit alia etiam capita fidei Nicænæ, & ſymboli catholicæ fidei, quam Petrus à Chriſto acceptam Romanis tradidit, quæq; in ſacris libris euangeliſtarum & apoſtolorum & prophetarum expoſita eſt: quam Damaſus Romæ epiſcopus, & Petrus Alexandriæ, alijq; doctores Eccleſiæ catholici tenuerunt, & docuerunt. Orthodoxos autem Chriſtianos & catholicos definiunt, qui hanc fidem obſeruant & colunt. Itaq; titulus hic ſummatim exponit Chriſtianiſmum uerum, ſempiternum, perfectum, immutabilẽ: in quo ſola contingit hominibus credentibus in nomẽ Ieſu Meſsiæ unici mediatoris Dei & hominum, gratia Dei, remiſsio peccatorũ, iuſtitia Dei, ſanctitas, uita æterna, ſalus perfecta & ſolida, ueraq; beatitudo. quemadmodum apoſtolus Petrus, cum Ioanne collega, in cõcilio Hieroſolymis palàm teſtati ſunt: Nõ eſſe aliud nomen ſub cœlo datum inter homines, in quo nos oportet ſaluos fieri.

*Definitio uel deſcriptio fidei catholicæ, fructus primus tituli huius.*

*Orthodoxi Chriſtiani qui nam.*

*Actor. apoſt. 4 cap.*

Eademq; opera leges Rom. principum ſub hoc titulo auſpicatiſsimo refellunt & iugulant omnes hæreſes exitioſas, utq; Petrus dicit, ſectas perditionis, negantes Dominum, qui redemit nos precioſo unigeniti filij ſui ſanguine à pœnis iuſtiſs. & grauiſs. à pecato, à morte æterna, à tyrannide ſatanica, & ab omni malo. Etſi enim

*Fructus 2. refutatio ſectarum.*

nim titulus hic fidei catholicæ nomen præfert, tamen
pluribus uerbis agitur contra hæreſes & ſectas. Quem-
admodum & libri medicorũ, etſi bonæ ualetudini cor-
porum humanorum tuendæ & reparandę ſunt deſtina
ti: tamen longè copioſius loquuntur de morbis, qui ad-
uerſantur bonæ ualetudini. Quod licet animaduertere
etiam in ſcriptis apoſtolorum & prophetarum: ut ſæ-
pius & pluribus agant aduerſus dogmata falſa & uitia
atq; peccata, quàm de ſana fide, & uirtutibus, et officijs,

*Hæretici quinam.*

ac bonis operibus. Definiunt ergo leges hæ ueſanos
& dementes hæreticos eſſe, qui catholicam fidem non
habent.

*Fructus 3. defenſio fidei & fidelium.*

Nec modò impias & pernicioſas ſectas hæ conſtitu
tiones damnant, uerùm etiam hæreticos pœnis & ſup-
plicijs abarcent ab ouili Chriſti. Nec modò catholicã
& orthodoxam fidem commendant & iniungunt om
nibus imperij ciuibus: ſed defendunt quoq; pios culto-
res fidei catholicæ, iubentq; tutos & inuiolatos eſſe, &
prærogatiuis potius gaudere, quàm pœnis & diuexa-
tionibus ſuccumbere. Quemadmodũ Iuſtinianus no-

*Prærogatiua catholicorum.*

uella conſtit. 109. diſertè pronunciat, inquiens: Nos cũ
eos qui orthodoxam exoſculantur fidem, & mordicus
eam retinere conantur, amplius priuilegium habere ue
limus, quàm eos qui ſeipſos ab ouili Dei ſegregant:
quandoquidem iuſtum non eſt, ut æqualibus priuile-
gijs hæreticos dignemur cum orthodoxis: eapropter
ad præſentem legem reſpeximus. Et hoc eſt, quod di-
uinus Paulus dicit Rom. 13. cap. Principes non ſunt ti-
mori boni operis, ſed mali. Vis non timere poteſtatem?

*Confugiũ Chriſtianorum hæ leges.*

Bonum fac, & habebis laudem ex illa. Quamobrem
titulus De ſumma trinitate & fide catholica, ueluti ſa-
croſanctũ aſylum, & ara iuſtitiæ, religionis, libertatis,
pacis, ſalutis exiſtit, ad quam cõfugiant catholici & or-
thodoxi Chriſtiani, dum cauſa religionis, uel imperiti
rerum Chriſtianarũ homines, uel improbi hoſtes eos
perſequun-

perſequuntur. Nam apud iudices & principes Chriſtianos, uel unicus ille titulus iuris diuini & humani, cum ſubiectis legibus Chriſtianiſsimorum principum, conferet eis defenſionem iuſtam, inculpatã, & legitimam: quã uſurpare, aut etiam petere, & quærere, ſemper Chriſti cultoribus ius & fas fuit.

*Defenſio Chriſtianis licita.*

Præterea totius ſapientiæ quæſtio ſuprema hic ſoluitur & explicatur, cùm authoritate diuina & humana, tum rationibus idoneis: quæ nam res efficiat & conſeruet homines ſaluos ac beatos. Quę notitia ut eſt omnib. hominib. in primis neceſſaria ad uitam beatã, ita maximè ſemper ea de re contenderunt & controuerſati ſunt non modò uulgares & imperiti homines, uerùm etiam docti, quiq; apud ſuos optimi & ſapientiſsimi habiti ſunt: ueluti apud Græcos philoſophi, apud omnes gentes ſacerdotes ac uates, & legũlatores atq; interpretes. Eam uerò controuerſiam miro compendio & perſpicuitate, leges Rom. principum de ſumma trinitate ac fide catholica expediunt. Hoc enim conſtat inter omnes, beatos eſſe, & felices, qui habent plenitudinẽ quandam boni, ſiue unicum ſit illud ſummum & perfectiſsimum bonum, quod propter ſeipſum expetitur: alia uerò, quia producũt ac prouehunt homines, ut id excellẽtiſsimum aſſequantur, ſiue plura ſimul exiſtunt. Qui enim ſummum obtinent bonum, illoq; fruuntur, cum ipſo coniuncti & uniti, ſiue in animo id ſit poſitum, ſiue in corpore, ſiue in utraq;, uoti ſui maximi & deſiderij compotes euaſerunt: & τὸ τέλος finem ſuum & perfectionem adepti, conquieſcunt, nec ulterius quicquam inquirunt aut expetunt: nulla enim re amplius egent.

*Fructus 4. Oſtẽſio ſalutis humanæ.*

*Beatus quis, & beatitudo quæ.*

Cæterùm nihil eſſe melius, nihil pręſtãtius, nihil optabilius eſſe, quàm numen & diuinitatem, omnes gentes, omnesq; philoſophiæ, religiones, ſectæ fatentur, & aſſentiunt. Itaq; facile impetrari poterit, religionem, quæ Deum & homines religat ac deuincit, eſſe id quod homines

*Summum bonũ diuinitas.*

*Religio uera beatos facit homines.*

mines beatos efficiat. Sed hic eſt error maximus gene ris humani, quis'nā ſit Deus uerus, & quæ'nam religio uera & explorata: & hinc eſt perturbatio uitę humanę, hinc diſsidia, odia, bella, uaſtitates, interitusq́; rerū publicarum. Proinde optimi & ſanctiſsimi principes, dum pectore toto incumbunt ad ſalutem ſubditorum ſuorum, iſtam controuerſiam in primis ſubmouere ſtu duerunt. Namq́; ſummum bonum oſtendunt eſſe tri nitatem ſummam, id eſt, unum Deum uerum eſſentia, tres autem perſonas conſubſtantiales. Cui uniti & cō iuncti homines, uel ſinguli uel plures, totæq́; familię, ci uitates, populi, regna, imperia, beatitatem ipſam obti nent. Quemadmodum rex & propheta Dauid ſummum bonum oſtendit tum in alijs Pſalmis, tum XV. in quiens: Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei. Et 143. Beatus populus, cuius Dominus Deus eius. Vinculum quoq́;, & nexum, qui Deum & homines iū git atq́; unit, & proinde facit beatos, oſtenderunt, non quamlibet religionem, ſed Chriſtianam, orthodoxam & catholicā. De qua re loquitur diuus Iuſtinianus Nouella conſtit. 132. Præcipuum ſummumq́; omnibus ho minibus bonum eſſe credimus, rectam ueræ & irrepre henſibilis Chriſtianæ fidei confeſsionem: in hoc, ut per omnia ipſa ualentior reddatur, & omnes habitati orbis religioſiſs. ſacerdotes ad concordiam copulentur, & uno ore rectam Chriſtianorum profiteantur ac prędicēt fidem, & omnis ab hæreticis excogitata adimatur occa ſio. id quod ex orationibus & edictis à nobis diuerſo tempore præſcriptis oſtenditur. Et Theodoſius atq́; Valentinianus in ſua nouella & authentica lege: Inter cæteras ſolicitudines, quas amor publicus peruigili nobis cogitatione indixit, præcipuam imperatoriæ maieſtatis curam eſſe perſpicimus, uerę religionis indaginē: cuius ſi cultum tenere potuerimus, iter proſperitatis hu manis aperuimus incœptis. Et hanc rationem ſalutis

*Deus uerus ſummum bonum, & beatos faciens.*

*Religio Chriſtiana coniungit Deum & homines, ac beat.*

*Concordia ex religione uera.*

humanæ copioſius deſcriptam in libris diuinis, & theologorum excellentium, titulus hic De ſumma trinitate, ſummatim & populariter explicat.

Proinde formulam quoq; abſolutam & perpetuam exhibet, tum conſeruandi partes integras eccleſiarum & ciuitatum ac regnorum, tum reparandi partes iam uitiatas & labefactas. Quas rationes, & uias, & modos reformandi eccleſias & reſtituendi politias Chriſtianas, ſi hoc tempore adhiberent uiri principes exemplo Iuſtiniani, Martiani, Theodoſij, Conſtantini, & aliorum principum Chriſtianorum, citò uideremus remp. Chriſtianam in meliori ſtatu collocatam eſſe. Quod ut fiat aliquando, faxit Chriſtus. *Fructus 5. ratio conſeruandi & reſtituendi eccleſias & politias.*

Neq; poterit à doctiſsimis & ſapientiſs. uiris unquã excogitari melior commodior' ue conciliatoria formula, qua recõciliẽtur homines populiq; Chriſtiani, quàm ea ipſa in titulo hoc propoſita. Nempe ut omnes reiectis falſis dogmatib. & obſeruatiunculis ſuperſtitioſis, in unitate fidei catholicæ & Chriſtianiſmi ueri ac ſempiterni conſentiant atq; conſpirent. Hac enim ratione theologia & iuriſprudentia, & philoſophia, redibũt in priſtinam concordiam, hac magiſtratus ciuiles & eccleſiarum antiſtites coaleſcent. Neq; difficile, ſed ſponte ſequentur populi. Quin Iudæi etiam & Mahumedici ad unitatem fidei catholicæ inuitabuntur, ſi uiderint, ipſos inter ſe Chriſtianos conſentire in diſciplina & inſtitutione ſui magiſtri, & principis, & Dei ac ſeruatoris IESV CHRISTI: ut fiat tandem (quod in uotis eſt omnium piorum hominum & angelorum) unus paſtor & unum ouile, & omnes agamus quietam & tranquillam uitam in pietate & ſanctimonia: quod bonum & acceptũ eſt coram Saluatore noſtro Deo, ut Apoſtolus ait. Quia Deus non uult quenquam perire, ſed uult uniuerſos homines ſaluos fieri, & ad ueritatis cognitionem peruenire. Siquidem unus eſt Deus, unus & mediator Dei & *Fructus 6. formula conciliatoria omniũ Chriſtianorum.* *Theologiæ, iuriſprudentiæ, & philoſophiæ concordia.* *1. Timoth. 2.*

hominum, homo IESVS CHRISTVS: qui dedit ſe metipſum redemptionem pro omnibus.

*Fructus 7. demõſtratio, quòd Ieſus ſit Meſſias, ſupremus totius orbis monarcha.*

Poſtremò, quod nõ poteſt argumentũ euidẽtius proferri contra Iudæos, negantes Meſsiam totius orbis monarcham legitimum & æternum, & ſupremum, ueniſſe iamdudũ in terras, et impleta eſſe uaticinia in IESV Nazareno, quæ prædixerunt ultimam totius mundi Rom. monarchiam ceſſuram eſſe Chriſto: quàm hoc ipſum, quod diuus Iuſtinianus emẽdatione iuris ciuilis ad normam doctrinæ Chriſtianæ exhibuit, maximè in hoc titulo ſacratiſsimo De ſumma trinitate ac fide catholica?

*Rom. imperium Chriſto addictũ & ſubiectum.*

Nam quis negare poteſt, imperium Romanũ Chriſto eſſe addictum & ſubiectum: quando leges Romanæ, in quibus uiua imago, uel potius ipſa politia tota continetur (ſiquidem negotia diuina & humana legibus regũtur) Chriſti principis legibus ſubiectę ſunt? Qui ſub Auguſto imperatore natus, & ciuis Romanus adſcriptus eſt in cenſu: à Pilato autẽ Rom. præſide cruci addictus, imperante Tiberio, & ab eodem declaratus eſt Deus. qui à Romanis principibus & prouincijs eorũ templa innumera obtinuit, & diuinos honores, & ſummam obedientiam. quando unus Iuſtinianus in Africa, recuperata ex tyrannide Vandalorum hæreticorum oppida cõdidit CL. in quibus Chriſtum ſeruatorem coli uoluit, & patrem ipſius cœleſtem.

*Confeſſio Iuſtiniani.*

Sic enim Chriſtum principẽ ſuum confitetur ac prædicat, de Africa recuperata uerba faciẽs 1. lib. cod. tit. 27. In nomine Domini noſtri IESV CHRISTI, ad omnia conſilia omneſq; actus ſemper per Deum progredimur. Per ipſum enim iura imperij ſuſcepimus: per ipſum pacem cum Perſis in æternũ cõfirmauimus: per ipſum acerbiſsimos hoſtes & fortiſſimos tyrannos deiecimus: per ipſum multas difficultates ſuperauimus: per ipſum & Africã defendere, & ſub noſtrum imperium redigere nobis conceſſum eſt: per ipſum quoq; ut noſtro moderamine rectè gubernetur, et firmè

firmè cuſtodiatur, confidimus. unde iam per eius gratiã etiam ciuilium adminiſtrationum iudices & officia ſingulis prouincijs conſtituimus. Et rurſum: Quas gratias aut quas laudes Domino Deo noſtro IESV CHRISTO exhibere debeamus, nec mens noſtra poteſt concipere, nec lingua proferre. Multas quidẽ & antea à Deo meruimus largitates, & innumerabilia circa nos eiuſdẽ beneficia confitemur, pro quibus nihil dignum nos egiſſe cognoſcimus: præ omnibus tamen hoc quod nũc omnipotens Deus per nos pro ſua laude & pro ſuo nomine demonſtrare dignatus eſt, excedit omnia mirabilia opera, quæ in ſeculo contigerunt: ut Africa per nos tam breui tempore reciperet libertatem, antea nonaginta quinq; annos à Vandalis captiuata, qui animarũ fuerant ſimul hoſtes & corporum. Et quæ ſequuntur.

Talis ergo, tam pius, tam ſanctus, tam modis omnib. Chriſtianus Rom. imperator, ius ciuile & leges Rom. principi Chriſto ſubiecit cum toto imperio. *Emendatio iuris Rom. Chriſto reddit teſtimonium.* Et habẽt Iudæi adhuc aliquid ſubterfugij, ut negent IESV Nazareno Meſsiæ monarchiam quartam & ultimam Rom. ceſsiſſe? An nõ clariſsimè patet, lapidem ſine manu abſciſſum contriuiſſe ſtatuam portentoſam, *Daniel. 2.* quæ repræſentauit ſucceſsionem pręcipuarum in toto mundo monarchiarum: & creuiſſe in montem, qui totum compleuit orbem? An nõ liquidè cernitur, Meſsiæ ſceptra, & thronos, & colla ſua reges ſubmiſiſſe: ut Dauid, ut Eſaias, Hieremias, Ezechiel, Daniel, Micheas, Eſras, & alij uates præcinuerunt? Si nullus eſſet uſus atq; fructus alius librorum diui Iuſtiniani, qui tamen eſt multiplex, quàm quòd Chriſto locupletiſsimum teſtimonium reddunt aduerſus Iudæos, & omnes hoſtes monarchiæ regis regum & æterni pontificis IESV CHRISTI: tamen inæſtimabile hoc donum prouidentiæ diuinæ mihi uideretur.

Sed eſt operępreciũ, paucis etiã indicare, quo tempo-

*Quàm tempeſtiuè & opportunè cõtulerit Deus hoc inſtrumẽtũ legitimæ ſcientiæ.*

re, quàm tempeſtiuè, quàm opportunè inſtrumentum hoc diuinum Deus imperio ſacro, & eccleſijs Chriſtianis tradiderit. Etenim codicem, in quo primum locum obtinet titulus De ſumma trinitate & fide catholica, editum eſſe in cõſulatu Decij, uiri clariſs. teſtatur ipſe Iuſtinianus, dum iubet Mennam præfectum prætoriorũ, ut in omnibus imperij Rom. prouincijs codicem legũ ſacratiſsimarum publicet. Fuit autem is annus tertius

*De ueteri iure enucleando.*

imperij Iuſtiniani, à Chriſto nato 532. ab urbe condita 1282. uel ut Iuſtinianus indicat, penè milleſimus trecenteſimus ab urbe condita, milleſimus autem quadringenteſimus ab ætate Lycurgi, cuius leges à Græcis ciuitatibus Rom. acceperunt in x tabulis. Quo quidem tempore ſatan & mundus cum malo dæmone coniuratus, omnem uim ſuam exeruerunt ad ſubuertendum religi-

*Nouus Meſsias.*

onem & eccleſiam Chriſtianam. Iudæi namq; & Samaritani Meſsiam ſibi nouum in Palæſtina crearunt, Iulianum nomine: & Chriſtianos rapinis, incendijs, atq; cædibus miſerè afflixerunt. Alamundarus Saracenorum princeps, in Syriam irruens, idem fecit, & Perſæ totum

*Hæretici multi.*

orientem infeſtum reddiderunt. Geilmaierus quoque Vandalorum rex Africam tenens, Arianam hæreſim propugnans, catholicos immaniter uexauit. quando Gothorum rex Thietrichus, ipſe quoq; Arianus, ſectã ſuam pro uirili propagauit Romę, in Italia, in Sicilia, in Illyrico. Adhæc hæreticorum acephalorũ cateruæ paſſim fidem Chriſtianorũ catholicam oppugnarunt, tum alia impia & pernicioſa dogmata propagantes, tum Arianam & Apollinariam ſiue Eutychianam hæreſim: quarum altera Chriſto ademit naturam diuinam, altera

*Mahumedica lex.*

proprietates humanæ eſſentiæ. E quibus Mahumedicum dogma præcipuè conflatum eſt, non poſt multos annos. Ioannes quoq; Rom. Papa cognomento Mercurius, uel potius Tarquinius Superbus, Conſtantinopoli coram imperatore Iuſtino, in cœtu ſacro epiſcoporum

rum primatum inter epiſcopos & eccleſias Chriſti ſu- perbiſsimè impudentiſsimeq; ſibi arrogauerat paulo antè: quem primatum & maioritatem ſiue maieſtatem Phocas parricida, Boniſacio tertio improbè iſtud ab eo contendenti publico edicto conceſsit, & adſcripſit. Vnde Mahumedis & Papæ Rom. nouũ ius, noua religio, noua monarchia duxerunt originem, permiſſu diuino & æquo, iuſto ſanctiſsimoq; iudicio. Eo tempore, ô admirandam bonitatem & ſapientiam parentis & principis Dei, maturè Dominus per Iuſtinianum conſuluit rebus Chriſtianis, & tradidit hoc diuinum organum in manus uiris principibus, & priuatis hominibus, quo religio uera legitimè uindicetur. In primis uerò titulus De ſumma trinitate ac fide catholica, eſt gladius ille Gedeonis, quo imperatores Chriſtiani, reges, duces, conſules, iudices, epiſcopi, doctores, eccleſias & politias Chriſti conſeruent: & ſi quid ullo tempore labefactum & deprauatum fuerit, reficiant, & reducant priſtinam formam, quam diuinæ & ciuiles optimę leges pręſcribunt.

*Primatus Papæ.*

*Organum Iuſtiniani uindicandi religionẽ, etc.*

Itaq; ſapientiſsimo conſilio diuus Iuſtinianus, & collaboratores ipſius Tribonianus ac cæteri, poſuerunt uelut in fundamento ſcientiæ legitimæ, uel potius reipublicæ, titulũ De ſumma trinitate ac fide catholica. Principiò enim, ut decebat uiros bonos, confiteri uoluerũt ſuam fidem, omnibusq; palàm teſtari, qualè nam ius in medium adferant: nimirum quod inſtitutioni Chriſtianæ haudquaquã repugnet, ſed ei accommodatum ſit, & tueri eam ac propagare uelit.

*Conſilium, quo titulus ille primo loco poſitus eſt.*

Deinde, quia politiæ finis eſt εὐδαιμονία beatitudo, ut tranquillam uitam in omni iuſtitia & ſanctitate agamus, quemadmodum Paulus docet, & Philo Ebræus: rectiſsimè initiò demonſtrarunt ſummum bonũ, nempe unum uerum Deum, in perſonis trinum: & eam rem quæ Deum atq; homines deuincit, nempe catholicam

*Finis politiæ, fœlicitas ciuium.*

fidem

fidem Chriſtianorum. Non uoluerunt etiam hypocritas & ſimulatores iuſtitiæ fingere, ſed ex animo probos ciues inſtituere. Ideo fidei catholicæ fundamentũ poſuerunt, in quo uirtutes omnes, & officia, & uerè bona opera extruãtur: imitati uidelicet diuinum Paulum, architectum eximium ædificationis eccleſiaſticæ & politicæ. Nulla etiam re æquè paratur & conſeruatur concordia ciuium, ac unitate religionis: & rurſum nihil magis ſcindit in partes ciuitates ac populos, quàm diſcrepantia religionis & fidei. Quamobrẽ cœleſte illud glutinum & alimentum charitatis, beneuolentiæ, concordiæ ſolidæ & ſanctæ, beneficentiæ, ſocietatis, initiò ſtatim uelut in totum corpus Reipub. infuderunt.

Iam uerò plurimus eſt uſus iuriſiurandi: quod probationis uice defungitur in omnibus cauſis: quod depoſitio eſt omnis cõtrouerſię, ut Paulus ait: quod magiſtratus & populos deuincit, illos ut iuſtè munus ſuum & iuriſditionem obeant, hos ut regentibus per omnia pareant: quod iuramentum, uigorem & uitam ſuam legibus adhibet. Nã leges per ſe mortuæ ſunt & inefficaces: neque obſtringunt aut mouent homines, niſi iurati ſint in leges. Quem enim hodie mouerent leges Spartanorũ, quantumuis æquæ & ſapientes, qui non eſt iureiurando ad ſeruandum eas obligatus? pro quibus Lacones iurati, omnia egiſſent, ac paſsi fuiſſent. Anima ipſa planè ſpoliatæ ſunt leges, ſi tollatur religio iuriſiurandi. Nã metus pœnarum, non fidus, neq; diuturnus eſt cuſtos legum. Cęterum ſi lingua iuret, animus iniuratus ſit, ut prouerbio uulgari dicit: ſitq; mens uacua & inanis Dei notitia & reuerentia, iuratũ eſſe, & non iuratum eſſe, parum differunt. Itaq; neceſſarium fuit initiò mẽtes hominum religione uera imbuere, ut iuramenta fiant in iudicio, iuſtitia & ueritate, ſicut Hieremias inquit: ut leges, robur, uitam & uigorem ſuum habeant: ut uinculo firmo partes reipub. contineãtur: ut animi ciuium ad omnem

*Hierem. 4. cap.*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-765435-p0026-6

nem fortunam, & mutuam opem deuincti ſint.

Et hæ mihi uidentur eſſe cauſæ præcipuæ, ob quas diuus Iuſtinianus & ſynergi ipſius primo loco poſuerunt auſpicatiſsimum titulum De ſumma trinitate & fide catholica: qui ueluti ſidus etiam tum codicem Iuſtinianeũ, tum reliquos libros illuſtrat: qui ueluti clauis Iani patris, uel Dauidis noſtri Meſsiæ potius, templũ iuſtitiæ, libertatis, pacis, ſalutis, & omnium bonorum aperit & claudit. Sic igitur habet titulus primus lib. 1. Cod. Iuſtiniani.

## DE SVMMA TRINITATE ET FIde catholica: ut nemo publicè de ea contendere audeat.

VT ergo ſacroſanctæ leges poſsint à rudiorib. etiã intelligi, explicabo ſingulatim præcipuas circunſtantias, ſine quarum notitia, intentio latoris legum nequit perſpici, itemq́ gemina ſententia in partibus legis. Bene monuit enim Iſidorus diſtinct. 29. Sciendum eſt, quòd pleraq; capitula ex cauſa, perſona, ex loco & tempore conſideranda ſunt. Quorum modi quia medullitùs non indagantur, in erroris labyrinthum nõnulli intricando impinguntur: cum antè iudicant, quàm intelligant: antè culpant, quàm iterando lecta perquirant.

## AD LEGEM PRIMAM EX*plicatio circunſtantiarum.*

FVit imperator Theodoſius Hiſpanus, è Chriſtianis parentibus natus, & à pueris inſtitutus in catholica fide: quam & conſtantiſsimè ſemper coluit, & aſſeruit. Ideo poſtulante imperij extrema neceſsitate, non ſine prædictionibus diuinis à Gratiano & Valentiniano in ſocietatem imperij cooptatus, laudatiſsimum & reip. in primis ſalutarem præſtitit principem. Cui patres in ſynodo Cõſtantinopolitana teſtimonium reddiderũt, quòd ſtuduerit maximè ſtabilire ſanam fidem, & communem eccleſiarum pacem.

*Theodoſij uirtutes.*

*Cauſæ legis.* Cauſa uerò condendi legē hanc fuit huiuſmodi, ut libro 9. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ tripartitæ legimus, cap. 4. 5. 6. 7. & Nicephori lib. 12. cap. 6. Mox enim ut imperiū ſumpſit Theodoſius, præ omnibus de concordia Eccleſiæ cogitauit, & uniuſcuiuſq; præſulatus epiſcopos Cōſtantinopoli cōuenire præcepit. Hæc enim, ſicut totus oriens, plena erat contagio Arianæ hæreſeos, negantis IESVM CHRISTVM filium Dei eſſe conſubſtantialē Deo patri. Macedonia, & Italia, & occidens totus immunis erat ab ea impietate tunc temporis. Interea Macedoniani hæretici, quia lex à Gratiano publicata poteſtatem fecerat omnibus religioni cui uellent cōmunicandi, Antiochiæ congregati ſtatuerūt, uocem cōſubſtantialitatis amouendam eſſe, neq; ijs communicādum, qui Nicænam fidem colerent.

Porrò cum Theodoſius Gothos bello ſuperaſſet apud Iſtrum, & illi Romanos precarentur, ut ſuſciperent eos in ſocietatem & fœdus: acceptis obſidibus uenit Theſſalonicam. Vbi cum in morbum incidiſſet, ab Acholio, ſiue ut Niceph. uocat, Aſcholio baptizari cupiens, interrogauit epiſcopum, cuiús nam fidei eſſet. Quo reſpondente, quòd Ariana peſtis in Illyricum nō ualuiſſet accedere, ſed inuiolatam ab initio fidem, Nicænumq; conciliū ſeruarent, imperator Theodoſius libenter eius uerba ſuſcipiens, baptizatus, & à morbo liberatus eſt.

*Explanatio legis 1. per Nicephorum.* Et tunc edidit conſtitutionem, Niceph. teſte, quæ iuſsit omnes eam complecti religionem, quam ab initio apoſtolorum princeps Petrus docuit, quamq; tum Damaſus Rom. & Petrus Alexandriæ epiſcopi ſequerentur. Ad hæc ſignificauit, ſolam eam nominari catholicam & uniuerſalem Eccleſiam, quæ trinitatem ὁμοούσιον diſertè & corde & ore prædicaret: diuerſum autem ſentientes, hæreticos uocari, inutilesq; eſſe, & pœnam ſuſtinere debere, ſi publicè docere auderēt. Cogitās autem

tem Imperator, melius eſſe pronunciare ſubiectis, cuius nam eſſet fidei, ne uideretur uim facere cuiquam, ſi ad cultum religionis ſubitò impelleret, legem è Theſſalonica populo Cõſtantinopolitano propoſuit: ut ex Conſtantinopoli regia urbe, uelut ex arce, alijs etiam ciuitatibus & ſubiectis per ſcripturam fieret manifeſta. Fuit autem is annus à Chriſto nato CCCLXXXIII. ut in Tripartita hiſtoria Conſulum anni adiecti oſtendunt. Porrò lectionem diuerſam ex Tripartita hiſtoria incluſam notis poſui, ut lex prima & princeps integrè legatur.

IMPERATORES GRATIANVS, VA*lentinianus & Theodoſius Auguſti, ad populũ* (populo) *urbis Conſtantinopolitanæ.*

CVnctos populos, quos clementiæ noſtræ regit imperiũ (*temperamentũ*) in tali (*ea*) uolumus religione uerſari, quam diuinum Petrũ apoſtolum tradidiſſe Romanis, religio uſq; adhuc (*nunc*) ab ipſo inſinuata declarat: quam'que pontificem Damaſum ſequi claret, & Petrũ Alexandriæ epiſcopum, uirum apoſtolicæ ſanctitatis. Hoc eſt, ut ſecundum Apoſtolicam diſciplinam, Euangelicam'q; doctrinam patris & filij, & ſpiritus ſancti, unam Deitatẽ, ſub pari (*pia*) maieſtate, & ſub pia trinitate credamus. Hanc legẽ ſequentes, Chriſtianorum catholicorum nomẽ iubemus amplecti. Reliquos uerò, demẽtes, uęſanoſq; iudicantes, hęretici dogmatis infamiam ſuſtinere: diuina primùm uindicta, pòſt etiam motus animi (*hiſt. trip. non habet animi*) noſtri, quẽ ex cœleſti arbitrio ſumpſerimus, ultione plectẽdos.

*Fidei catholicæ definitio per typum, exemplum aut ſpecimen.*

*Fidei cathol. definitio per ſuas partes præcipuas: ut fit in ſymbolis.*

*Summa trinitas quæ.*

*Catholici per denominationẽ definiuntur.*

*Hæretici, per ablationem contrarij.*

*Pœnæ in hæreticos diuinæ & humanæ.*

dos. Data I I I. Calend. Martias, Theſſalonicæ: Gratiano quintùm, & Theodoſio conſulibus.

### AD SECVNDAM LEGEM EXPLI- *catio circunſtantiarum.*

PAulo pòſt idem princeps Theodoſius aliam tulit legem, eiuſdem ſententiæ prorſus cum priori, ut catholica fides ab omnibus imperij ciuibus coleretur, & hæreſes eradicarentur. Cuius occaſionem indicat hiſtoria Tripartita, lib. 9. cap. 19. & Nicephorus lib. 12. cap. 13. Quãquam potius adſtipulor D. Ioanni Langio, qui cẽſet ab Amphilochio Iconij epiſcopo extimulatum eſſe Theodoſium, ut hanc ederet conſtitutionem. de quo Niceph. cap. 9. libri 12. Quum enim Ariani mouerent omnem lapidem, ut Theodoſium perducerent in ſuã peſtiferam opinionem: Amphilochius uir doctiſsimus & catholicus, ad quem Baſilius libros ſcripſit de ſpiritu ſancto, quiq; Arianis in oriente ualidè reſtitit cum paucis alijs epiſcopis, imperatori ſupplicauit, ut Arianorum cõuentus ab urbibus ſemoueret. Quam petitionem non probauit imperator ab initio, eo quòd inhumanior ac durior uideret. Itaq; Amphilochius rurſum adijt imperatorem cũ alijs epiſcopis, & arte uſus eſt nõ reprehendenda. Filium enim imperatoris Arcadium, quẽ recens imperator cooptauerat in ſocietatem imperij, ſalutauit non ut Cæſarem, ſed ut puerum. Quod Theodoſius indignè tulit, ceu filius iniuria eſſet affectus: & epiſcopum iuſsit etiam cum conuicio abduci. Tum Amphilochius: Vidés ne inquit, ô Imperator, q̃ tu procaciter filio illatam contumeliam non fers, ſed amarulenter propter ſummiſsiorem compellationem in nos excandeſcis? Sic ſcilicet exiſtimare te oportuit, ſuccenſere etiam cœleſtem imperatorem, & patrem unigeniti, propter eos qui non communem illi tribuunt honorem, ſed diſsimilem & longè minorem patre uocare audent.

*Cauſæ legis ſecũdæ.*

*Sapiens factum epiſcopi catholici ad perſuadendum Cæſari.*

audent. Imperator quum inde rem actam intelligeret, & uerba ea admiraretur, quamprimùm ad ſe ſacerdotē Dei accerſiuit: & ad pedes eius prouolutus, ueniam ab eo petijt. Neq; aliter, quàm ipſe dixiſſet, ſe rem habere profeſſus eſt. Atq; in ea ſentētia cōfirmatus, poſtea eos qui aliter quàm Nicææ ſtatutum fuerat, opinarentur, auerſatus eſt. Contentiones in foro & inanes conuētus inhibuit, diſputationibus de Deo & natura eius finem omnino impoſuit: & periculum, qui ei non parêrent, denunciauit: pœnam ei quoq; qui contrà uenire auſus eſſet, comminatus. Ita factum, ut Arianis & Eunomianis pulſis: τῆς ὁμοουσίας conſubſtantialis fidei profeſſores eccleſias moderarentur.

*Theodoſij pietas, qualem etiā declarauit excōmunicatus à diuo Ambroſio.*

Eutropij quidem nomen multæ cōſtitutiones adſcriptum habent in codice Iuſtiniani. Cuius etiā meminit aliquoties hiſtoria Eccleſiaſtica, uelut liber 10. Tripartitæ hiſtoriæ. Quum enim ſe probè geſsiſſet imperante Theodoſio, poſt mortē eius à ſacerdotum factione aduerſante Ioāni Chryſoſtomo deceptus, cœpit ſe modis omnibus opponere Chriſtianis inſtitutis: donec Arcadij Cæſaris iuſſu truncatus eſt capite. Porrò quum fuerit præfectus prætoriorum orientis, & alibi, præfectus prætorij uel palatij in urbe regia, conſulatus habuit ſummam dignitatem. ὁμοούσιος ſonat conſubſtantialis, uel coeſſentialis. Nam οὐσία ſignificat eſſentiam & ſubſtantiam, ὁμοῦ ſimul. Itaque patres Eccleſiæ unam eſſentiam, & eandem naturam Dei patris, Dei filij, Dei ſpiritus ſancti uolentes exprimere, dixerunt diuinam trinitatem perſonarum ὁμοούσιον. Neque ſynodus Nicæna excogitauit eam uocē, ſed ante annos CL. Iuſtinus Martyr eam uſurpauit, acceptam à maioribus, ut ex Apoſtolorum doctrina in eccleſias & ſcholas Chriſti defluxerit.

*Eutropius quis.*

*Præfectus prætor.*

*ὁμοούσιον quid.*

II. IIDEM AVGVSTI EVTROPIO
*præfecto prætorio.*

*Vt legitimè reſiſtatur ſectis perniciosis.*

*Nullum priuilegium tuetur falſas religiones.*

NVllus hæreticis miniſteriorum locus, nulla ad excercendam animi obſtinatioris dementiam pateat occaſio. Sciant omnes, etiamſi quid ſpeciali quolibet reſcripto per fraudem elicito, ab huiuſmodi hominũ genere impetratũ ſit, non ualere. Arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregationibus turbæ. Vnius & ſummi Dei nomen ubiq; celebretur. Nicænę fidei dudum à maioribus traditæ, & diuinæ religionis teſtimonio atq; adſertione firmatę, obſeruantia ſemper manſura teneat. Is autem Nicęnæ fidei & catholicæ religionis uerus cultor accipiendus eſt, qui omnipotentem Deũ & Chriſtum filium Dei, uno nomine confitetur Deum de Deo, lumen ex lumine: qui ſpiritum ſanctũ, quem ex ſummo rerum parente ſperamus & accipimus, negando non uiolat: apud quem intemeratæ fidei ſenſus uiget, incorruptæ trinitatis indiuiſa ſubſtantia, quæ Græco uerbo ὁμοούσιος rectè credentibus dicitur.

*Nicæna fides.*

*Catholicæ religionis definitio, et trinitatis ſummæ expoſitio theologica.*

*Symbolũ Nicænum dicens ſpiritum ſanctũ à patre Deo procedere, non negauit etiam à filio procedere.*

Hæc profectò uobis magis probanda, hęc ueneranda ſunt. Qui uerò non iiſdem inſeruiunt, deſinant adfectatis dolis alienum ueræ religionis nomen adſumere, & apertis ſuis criminibus denotent̃, atq; ab omni ſubmoti eccleſiarũ limine penitus arceãtur. Cum omnes hæreticos illicitas agere intra oppida cõgregationes uetemus.

*Hæretici deſignantur, qui nõ retinent fidẽ catholicam. ut 1. cod. tit. 5. l. omnes, & conſtit. 109.*

At

At ſi quid eruptio factioſa tentauerit, ab ipſis etiam urbium mœnib. exterminato furore pro pelli iubemus. Vt cunctis orthodoxis epiſcopis qui Nicænam fidem tenent, catholicæ eccleſiæ reddantur.

*Legitima hæreticorum coercio & reſtitutio eccleſiarum.*

AD TERTIAM LEGEM EXPLI-
*catio circunſtantiarum.*

FLauius Valerius Martianus, genere Thrax, filius militis, & ipſe miles, per prouidentiam diuinam ex humili conditione ad imperium euectus eſt, multis prodigijs etiam ipſi promiſſum. Mortuo Theodoſio iuniore, Pulcheria imperatrix ſtatim creari imperatorem curauit. Et cum Valentiniano annos quinq; geſsit imperium, uir iuſtitiæ & religionis & pacis ſtudioſiſsimus. Nam eius dictum celebratur: Dum eſſe in pace poſſumus, arma non induamus. De hoc Nicephorus lib. 15. cap. 1. Martianus, quantum uix alius quiſquam ucrioris erga Deum pietatis iuſtitiæq; cultor fuit. In primis uerò ſtuduit, ut unum & communem ab omnibus, ſublatis è medio hæreſibus, Deo cultum offerret, & Eccleſia per coniunctionem unita, ſententiam & religionem unam coleret. Hoc agitantem in animo, Romanus pontifex Leo inſuper literis excitauit, ut concilium uniuerſale congregaret, in quo legitimè inquireretur in hæreſim Eutychetis abbatis Conſtantinopolitani, & Dioſcuri Alexandrini epiſcopi: qui Apollinarem hæreſiarcham ſecuti, Chriſto adimebant proprietatem naturæ humanæ. Eas ob cauſas imperator Chriſtianiſs. omnium locorum epiſcopos DCXXXVI. conuocauit Nicæam: ſed Chalcedonem ſynodus eſt tranſlata, ut ipſe Imperator etiam adeſſe poſſet. Interfuit autem, ac præfuit etiam ei concilio Martianus, exemplo Conſtantini. Romanus autem epiſcopus Leo ſuos legatos eò miſit. Factum eſt hoc VIII idus Octob. uel ut Græci canones indicant,

*Martiani res ſummatim perſtrictæ.*

*Pacis ſtudium.*

*Religio & iuſtitia.*

*Chalcedonẽſe cõcilium.*

Nouemb.

*Oratio Martiani de reparanda pace eccleſiarũ.*

Nouemb. Fl. Martiano cõſule, cum Adelphio collega: qui fuit annus 454. à Chriſto nato. His autem uerbis Imperator collectos in templo Euphemiæ patres allocutus eſt: Cum primùm per electionem in regnum de ſecreto Dei prouecti ſumus, inter tantas publicas utilitates nullum magis nos conſtrinximus ad negotium, quàm rectam & ueram fidem Chriſtianorum, quæ ſancta & ueneranda conſiſtit, indubitatam omnibus declarare. Et reliqua.

*Cõfirmatio decretorum ſynodalium.*

Recitatis autem concilij decretis, Imperator quæſiuit, an ex conſenſu epiſcoporum omniũ hæc definita eſſent. Qui omnes reſponderunt: Omnes ſic credimus, omnes orthodoxi ſumus. Hęc fides patrũ, hæc fides apoſtolorum, hęc rectè credentium fides, quę orbem terrarum ſaluat. Tum pientiſs. Imperator ac fidelisſimus dixit ad ſynodum: Venerandam catholicam fidem ſanctæ uniuerſalis ſynodi, ſecundum patrum expoſitionem manifeſtam, iuxta legem & conuenientem eſſe ueſtra tranquillitas probet, & omnem in poſterum contentionis occaſionem circa ſuam fidem amputari.

*Quid ſit publicè de fide cõtẽdere.*

*Videtur deeſſe uerbũ poſt Amputari, ueluti Curet.*

Si quis igitur idiota, uel militaris, ſeu clericus, publicè turbam congregans, ſub obtentu diſpoſitionis tumultũ fecerit: ſiquidem idiota, proſcriptus expellatur à regia urbe: militaris uerò, ſeu clericus, gradus ſui periculum ſuſtinebit, & alijs pœnis ſubiacebit.

*Leges plures Martiani.*

Ac plures quidẽ leges edidit Martianus, pro confirmanda fide catholica, quam ſancti patres Chalcedoni, & antea Nicææ, Conſtantinopoli, & Epheſi confeſsi ſunt: quarum aliquæ inſertæ ſunt Codici, ut titul. 3. l. 23. & tit. 5. l. 8.

Et quia edictum uniuerſis populis propoſitũ, pro confirmatione concilij Chalcedonẽſis, ueluti paraphraſis hanc legem declarat, uiſum eſt ipſum quoq; huc adſcribere. ſic enim habet:

*Edictum ad uniuerſos populos imperij.*

Imperatores Valentinianus & Martianus Auguſti, uniuerſis populis. Tandem aliquãdo, quod ſummis uotis atq; ſtudijs optabamus, euenit. Remota eſt de orthodoxa Chriſtianorum lege contentio,

tio. Tandē remedia culpabilis erroris inuēta ſunt, & diſcors populorum ſententia in unum conſenſum concordiamq; conuenit. Ab uniuerſis enim prouincijs religioſiſsimi ſacerdotes Chalcedonem uenerunt iuxta noſtra præcepta: & quid obſeruari in religione debeat, perſpicua definitione docuerunt. Diſceſsit igitur iam prophana contentio. Nam uerè impius atq; ſacrilegus eſt, qui poſt tot ſacerdotum ſententiam opinioni ſuæ aliquid tractandum reliquit. Extremæ quippe dementię eſt, in medio & perſpicuo die commentitium lumen quęrere. Quiſquis enim poſt ueritatem repertam aliquid ulterius diſcutit, mendacium quęrit. Nemo itaq; uel clericus, uel militans, & alterius cuiuslibet conditionis, de fide Chriſtiana publicè terminata, coadunatis & audientibus * tractare conetur in poſterum, ex hoc tumultus & perfidiæ occaſionē requirens. Nam iniuriam facit iudicio religioſiſsimæ ſynodi, ſi quis ſemel iudicata, rectèq; diſpoſita reuoluere, & publicè diſputare cōtendit: cum ea quæ nunc de Chriſtiana fide ſtatuta ſunt, iuxta apoſtolicas expoſitiones & inſtituta ſanctorum patrum CCCXVIII. & CL. definita eſſe noſcuntur. Nam in contemptores huius legis pœna non deerit: quia non ſolū contra fidem bene compoſitam ueniūt, ſed etiam Iudęis & paganis huiuſcemodi certamine prophanant ueneranda myſteria. Igitur ſi clericus erit, qui publicè tractare de religione auſus fuerit, à conſortio clericorum remouebitur: ſi uerò militia præditus ſit, cingulo expoliabitur. Cęteri etiam huius criminis rei de hac ſanctiſsima urbe pellentur, pro uigore iudiciario, etiam competentibus ſupplicijs ſubiugandi. Conſtat enim, hæreticæ inſaniæ exordia fomitemq; nutriri, dum publicè quidam diſputant atq; contendunt. Vniuerſa ergo quæ à ſancta ſynodo Chalcedonia conſtituta ſunt, cuſtodire debebunt, nihil poſtea dubitaturi. Hoc itaq; commoniti noſtræ ſynceritatis edicto, obſiſtite prophanis uocib.

*Vt Tertullianus ait, de Præſcriptionibus aduerſus hæreticos.*

** Videtur addendum Turbis, ut lege 3.*

*Pœna in contumaces.*

ulterius deſinite de diuinis diſputare, q̃d nefas eſt. Quia nõ ſolũ diuino iudicio, prout credimus, peccatũ hoc punietur, uerùm etiam legum & iudicum authoritate coercibitur. Propoſita VII. Calend. Februar. Conſtantinopoli, Patritio conſule.

*Tempus & locus.*

Videtur legendum Aſporatio conſule. Is enim fuit conſul cum Herculano, poſt ſynodum Chalcedoni celebratam, anno tertio Martiani imperãtis, CCCCLIIII. poſt Chriſtum natum. Nam ita legimus in alia ſanctione ad Palladium pro confirmatione huius ſynodi: Data XV. Calend. Auguſti, Cõſtantinopoli, Aſpirato & qui fuerit nunciatus, conſulibus. Cæterùm Palladius magnificentiſs. & glorioſiſs. præfectus ſacri prætorij, cum ipſo Imperatore concilio interfuit: quem parentem chariſsimum & amantiſsimũ uocat Martianus Imperator.

## IMPERATOR MARTIANVS AVguſtus Palladio. P. P.

*Quid ſit prophanè cõtendere de religione, ut titulus habet, declarat etiã lex 8. tit. 5. lib. 1. Cod.*

NEmo clericus, uel militaris, uel alterius cuiuslibet conditionis, de fide Chriſtiana publicè turbis coadunatis & audientibus tractare conetur in poſterũ, ex hoc tumultus uel perfidiæ occaſionem requirens. Nam iniuriam facit iudicio reuerendiſsimæ ſynodi, ſi quis ſemel iudicata, ac rectè diſpoſita reuoluere, & publicè diſputare contenderit. Cũ ea quæ nunc de Chriſtiana fide à ſacerdotibus qui Chalcedoni cõuenerunt per noſtra præcepta, ſtatuta ſunt, iuxta Apoſtolicas expoſitiones, & inſtituta ſanctorũ patrum CCCXVIII. in Nicæa, & CL. in hac regia urbe definita eſſe noſcantur.

*Non igitur prohibet inquirere obſcura, uel malè conſtituta retractare. ut l. 15. tit. 2.*

Nam in cõtemptores huius legis pœna non deerit.

deerit. Quia non ſolum contra fidem uerè expoſitam ueniũt, ſed etiam Iudæis & paganis, & huiuſmodi certamine profanant ueneranda myſteria.

Cauſa cur uetet lex cõtendere de fide i articulis notis & confeſſis.

Igitur ſi clericus erit, qui publicè tractare de religione auſus fuerit, à conſortio clericorum remouebitur. Si uerò militia præditus ſit, cingulo ſpoliabitur. cæteri autẽ huius criminis rei, ſi quidem liberi ſint, de hac ſacratiſsima urbe repellentur, pro uigore etiam iudiciario competentibus ſupplicijs ſubiugandi. Si uerò ſerui, ſeueriſsimis animaduerſionibus plectentur.

Pœnæ in eos quĩ profanè rixãdo, fidei catholicæ fundamenta labefacere tentãt.

AD NOVELLAM ET AVTHENTIcam diui Iuſtiniani conſtitutionem XXXXII.

Conſtitutionem quartam ſub titulo De ſumma trinitate, quæ continet epiſtolam Ioannis Papæ Romani ad Iuſtinianum Imperatorem, & epiſtolam Iuſtiniani ad Papam, non eſſe ab ipſo Iuſtiniano inſertam codici legum ſacratiſsimarum, ac ne quidem publicatã, aut datam, aut ſcriptam, aut conceſſam, uerùm ſuppoſititiã eſſe, idq; uel oſcitantia & errore hominum portentoſo uel dolo peſsimo ſophiſtarum & papiſtarum, multis firmis & euidentib. argumentis probari poteſt. Etſi uerò iſte Ioãnes Mercurius Papa, ſiue Marphorius, ſiue alius quicunq; figmenti huius architectus, obtendit ac prætexit unitatem Eccleſiæ, & catholicæ fidei uindicationẽ, & exſtirpationem hæreticæ prauitatis: tamen ſatis apertè, & ſatis impudenter quærit Papæ & eccleſiæ Romanæ gloriã, honorem, poteſtatẽ, exaltationem, & principalitatem atq; maioritatem in omnes epiſcopos, principes, & eccleſias Chriſtianas. Ideo iudicaui ſeparandam

Lex quarta ſuppoſititia eſt.

eſſe, ut indignam Iuſtiniano, ſapiente ac iuſto & pio Imperatore, minimeq; dignam titulo ſacratiſsimo De ſumma trinitate ac fide catholica. Et ſi quid iudicare poſsũ de iure diuino & humano, pertinet magis effićta iſthęc, non Iuſtinianea, ſed iniuſtiſsima conſtitutio, ſub titulũ de maioritate ſiue maieſtate papiſtica, & obedientia cæterorum Chriſtianorum, aut ſub titulum de contumacia & dolo malo, aut ſub quemuis alium titulum extrauagantium & exorbitantium decretalium.

*De conſtitutione Iuſtiniani authentica.*

Ne tamen locus uacuus ſit, & perficiatur ſub titulo ſacratiſsimo ſacer quaternio legum imperatoriarum, aut ne Papa cõqueri poſsit, reponam diui Iuſtiniani ueram conſtitutionem & authenticã eiuſdẽ argumenti. Nam Papæ Ro. plus adtribuit, quàm ulla cõſtitutio alia Iuſtiniani: & eſt ad regiæ urbis archiepiſcopum ſcripta peculiariter, & eodem tempore, quo præſcriptio centum annorum ad Ioannem Papam Romanum: agit autem ſeriò de hæreſibus tollendis, & conſeruanda unitate eccleſiarum in fide catholica. Verùm prius circunſtantiæ ſunt explicandæ, quàm ipſam recito conſtitutionem: ut in alijs factum eſt. Audiamus igitur Nicephorum Conſtantinopolitanum, qui lib. 18. cap. 45. ita ſcribit.

*Circũſtantiæ & cauſæ legis.*

Poſtquam Eutycheti & Dioſcoro à ſancta quarta Chalcedonenſi ſynodo dignitas abrogata eſt, qui illorũ dogmata defenderunt, facta ab Eccleſia catholica defectione, διακρινομένους, hoc eſt ſegregatos, ſiue ambigentes ſeipſos appellarunt: neq; ullo modo adduci potuerunt, ut quæ rectè in concilio ſancto ſtatuta eſſent, comprobarent. Et hi diſſecti ſunt in XII partes, è quib. multa hæreſum millia pullularunt. Eo tempore Acephali, quorum dux Seuerus Antiochenus fuit, unã uerbi Dei & carnis naturam malè prædicãtes Eccleſiæ inſultarũt. Ex his autem qui ſynodum quartam oppugnarunt, unamq; naturã in Chriſto, & duas hypoſtaſes, id eſt perſonas uel ſubſiſtentias, per ſummam docuerunt impietatem,

*Acephalorũ anteſignanus Seuerus.*



tatem,

tatem, uel primus fuit Seuerus, qui librum integrũm ea de re ſcripſit. Poſtquam uerò Iuſtinianus ſceptra imperij accepit, belluæ iſtæ in ſpecus & latibula ſe receperũt. De ſacrilega perfidia Seueri, utq; cathedram Antiochenam occuparit, exponit idem Nicephorus libro decimoſexto, cap. 29.

Verùm ne longior ſim, de his quæ maximè pertinẽt ad conſtitutionem præſentem, ex lib. 17. cap. 9. eiuſdem Nicephori cõmemorabo. Illud notare conuenit, eum quẽ diximus Anthimũ Epiphanij ſucceſſorẽ uerbo quidem ſanctã quartam ſynodum recepiſſe, reuera aũt abominatum eſſe atq; damnaſſe. Et quũ cõprobare eã, atq; anathemate eos iugulare, quos illa reijceret, adigeretur, & idipſum facere differret, alias ex alijs cauſas moræ cõfingens, interea accidit, ut Agapetus ueteris Romæ hierarcha, Conſtantinopolim ueniret. Qui cum de Anthimi rebus inquireret, multosq; ab archimandritis eius urbis, & ab alijs libellos oblatos acciperet, illi ne in conſpectum quidem admiſſo epiſcopatum abrogauit. Cuius calculum monaſteria etiam Paleſtinæ, & Petrus Hieroſolymitanus antiſtes, nec non reliqui eccleſiarum præfecti comprobarunt. Hunc Anthimum poſt Agapeti obitum ſynodus Conſtantinopoli coacta, atq; ipſe etiam Agathon, Agapeti in eccleſia Romana ſucceſſor atq; ſuperſtes, cohortati ſunt, ut pœnitentiæ libellũ exhiberet, eaq; quæ in illum dicta eſſent, falſa eſſe probaret, atq; ita ad priorem epiſcopatum ſuum Trapezuntem rediret. Porrò cũ ille latitaret, & ſynodus iterũ atq; tertiò illum comparere, & cauſam dicere, obiectaq; ſibi crimina cõfutare, & priorem ſedem Trapezũti recipere palàm iuberet: atque ipſe propter timorem ſe occultãs, copiã ſui non faceret: ſynodus ſententia contra illũ publicata, dignitate ſacerdotali omni eum priuauit. Poſt Anthimum autem Menas ad thronum epiſcopalem aſcendit, ſicut dictum eſt: cui Agathon Papa, quod antea

*Seuerus hypocrita perfidiſs.*

*Romanus præſul Agapetus Cõſtãtinopolitanũ abdicat. Fuit antè miſſus à Theodoto Gothorum principe ad Imperatorem.*

*Agapeto ſucceſſit Romæ Syluerius: niſi fortè Imperator Agathonem elegit, quũ Theodotus Syluerium ordinaſſet. Aut Agatho legatus fuit Papæ Rom.*

tea nunquam factum eſt, manus impoſuit.

*Damnatio hæreticorum, quorũ ſit mentio in authentica 42.*

Cum Agathon adhuc in rebus humanis eſſet, altera Conſtãtinopoli prouincialis ſynodus coacta eſt: cui Agathon & Menas pręfuere. In hac Seueri Antiochię, & Petri Apameę Syriæ epiſcoporum, nec non Zoorę monachi Syri, res in quæſtionem deductæ ſunt. Aduerſus quos Palæſtinæ, urbis Conſtantinop. & ſecundæ prouinciæ Syriæ monaſteria libellos obtulerunt. Sed enim poſteaquam deprehẽſi ſunt rebus illicitis inuoluti eſſe, & quod maximum eſt, Chalcedonenſem ſynodum anathemate cõfigere, & naturam in Chriſto unam docere, & ipſi & quicunqꝫ cum eis in eadem erant ſententia, exploſi ſunt atqꝫ reiecti. Lata quoqꝫ lex, Seueri ſcripta cõſeruari non debere: atqꝫ ſicubi reperirentur, ut igni comburerentur: ſin minus, ut capitis ſupplicio in eum animaduerteretur, qui ſcripta talia ſibi ſeruanda eſſe ſtatuiſſet. Atqꝫ hæc in urbe imperante aduerſus Anthimum, Seuerum, Petrum & Zooram geſta ſunt, ante ſanctam magnam uniuerſalem ſynodum quintam. Hactenus ille.

*Fuerunt monophyſitæ, & monothelitæ.*

*Quinta ſynodus XX. annis poſt fuit.*

Acta ſunt hæc poſt conſulatum Flauij Beliſarij, clariſsimi uiri, VI. Non. Maij, indictione XIIII. præſidente domino noſtro ſanctiſs. ac beatiſsimo archiepiſcopo & patriarcha Mena, in meſaulo dytico, id eſt occidẽtali uenerabilis domus dominæ noſtræ ſanctæ & glorioſæ Dei genitricis ſemper uirginis Mariæ: ut in ſcripto ſynodali tranſmiſſo ad Hieroſolymitanum concilium annotatum legimus. Fuit is annus poſt Chriſtum natum DXXXVIII. Iuſtiniani autem decimus. Superiori autem anno mortuus fuerat Ioannes Papa, & Theodotus Gothorum princeps Agapetum miſit legatum Conſtãtinopolim ad Imperatorem. Tunc etiam nouella conſtitutio X. edita eſt, ut eccleſia Romana, & aliæ quoque eccleſiæ in occidente & oriente, gaudeant centum an-

norum

norum præſcriptione. Et conſtit. quinta, ſexta, ſeptima: quæ longè aliter loquuntur, quàm iſta Ioannis Papæ Rom. lex regia & monarchica, titulo De ſumma trinitate ſubiecta, ut cuculus furtiuè oua ſua palumbis nido imponit. Oſtendant autem nobis canoniſtæ & papiſtici leguleij, omnes circūſtantias in iſta Iuſtiniani ſuppoſititia conſtitutione, & in donatione Conſtantini, tam clarè & certò, quàm feci hactenus in his legibus, & ſine mora, ſine cunctatione, ſine deliberatione ueras eſſe & non fictas confitebor. Sed audiamus noſtrum latorem legum ſanctiſſ. & iuris Rom. emendatorem, ac uirgam rectitudinis, & flagellū Alcorani, atque iuris pontificij Rom.

## UT ANTHIMUS, SEVERUS, PETRUS, ZOoras, & reliqui hæretici eccleſiaſtico gradu detrahantur, conſtitutio XXXXII.

*Idem Auguſtus Mennæ ſanctiſsimo & beatiſsimo archiepiſcopo Conſtantinopolitano, uniuerſiq; eius tractus patriarchæ.*

NOn inſolitam imperatoriæ maieſtati rem agentes, ad præſentem legem peruenimus. Quotieſcunque enim ſacerdotum ſententiæ aliquos qui ſacerdotio indigni eſſent, ſacerdotalib. deturbarunt ſedibus, * quale ſit, Neſtorium, Eutychetem, Arium, Macedonium, Eunomium, & alios non inferiore quàm illi malicia: toties etiam ad ſacerdotum authoritatem Imperatoris conſenſus acceſſit, ut diuina cum humanis coeūtia, rectis ſententijs ſymphoniam quandam & unam conſonantiam inducerent.

*Imperatoris autoritate pontifices deponebantur & confirmabantur.*

*Quale ſit, Græ. ὁποῖον δὴ, ueluti.*

Simile

Simile quiddamnuper circa Anthimum eueniſſe ſcimus, tam ab Agapeto religioſæ & celebrandæ memoriæ præſule ſacroſanctæ in ueteri Roma eccleſiæ conſtituto, è ſede huius regiæ urbis depulſum, ut qui in ſedem neque ulla ſibi ratione competentem, & præter omnes canones inſilijſſet, quàm communi ſententia, eius'que uiri ſanctæ memoriæ multis nominibus exoſculari uideretur: id quod uarijs poſtmodum commentis refugit, ſimulans quidē ſancta ſe quatuor concilia ſequi, nempe CCCXVIII. ſanctorum patrū Nicææ, CL. in hac alma urbe, CC. pręterea Epheſi primùm congregatorum, necꝫ non Dei amantiſsimorum DCXXX. patrum Chalcedoni: non uerò reipſa illorum dogmata conſequens, necꝫ noſtram benignitatem & ſubmiſsionem, quam pro eius ſalute ſuſcepimus, amplecti, necꝫ renunciare tam impiorum dogmatum authoribus à ſanctis patribus in ſynodis reiectis uolens, ſed ratus in unum & eundem authoritatis gradum utroſcꝫ tam condemnatos quàm qui condemnarint collocandos. Semel enim peregrinis à ſacroſancta Eccleſia cogitationibus mancipatus, & à rectis dogmatibus alienus factus, meritò ad eorum rectitudinem regredi non ualuit: quanquā à nobis quocꝫ diligenter & ſummo ſtudio ad eius ſalutem contendentibus, cō̄mōſtrata uia admonitus.

*Fuit enim Trapezontinus præſul, & cōtra canonē 14. apoſt. rapuit ſedē Conſtantinop. &c.*

*Nam Epheſi poſtea congregati ſub Theodoſio iuniore, impiè damnarunt Fabianum epiſcopum pium.*

*Difficile, ut implicati hæreſib. eas relinquant.*

Propter omnia hæc igitur, quæ cū ipſo geſta ſunt,

ſunt, & depoſitionis à gradu eccleſiaſtico ſen-
tentiam à ſancta ſynodo, tam per cauſam illici-
tæ, neque per ſacros canones approbatæ, in ſa-
cerdotales huius regiæ urbis ſedes * irreptio-
nis, quàm à rectis & ueris dogmatibus † diuer-
ſionis prolatam, ratam noſtra facit maieſtas, dé-
que ijs præſentem legem conſcribit. Et interdici
mus, ne in alma hac urbe, eiuſq́ue confinijs morã
trahat, néue in ulla inſigniorum urbium quietẽ
agat: ſancientes, ut cum his acquieſcat, quibus ſe
dignum prębuit, neque cum ullis conſuetudinem
ineat, aut eos in perniciem prohibitorũ dogma-
tum inducat.

*Tenor ſententiæ cõtra hæreticos, uelut Anthemij.*

* *Arreptionis,* ἁρπαγῆς.

† ἀποτροπῆς.

Enimuero neque ſententiam iuſtè contra Seue
rum promulgatam, & ex omnibus archiepiſco-
palibus & patriarchalibus ſedibus unà cum pru
dentia monachali procedentem, exortem confir
mationis regiæ efficimus. Qui prius ſacroſanctę
Theopolitanorum eccleſiæ ſede contra ſacros ri
tus occupata, ita omnia conturbauit, ita contur-
bata tranſmutauit, ut generale quoddam & abſ-
que fœcialium interuentu ſuſceptum ſacroſan-
ctis inter ſe eccleſijs bellum inferre uideatur. At
que hoc etiam ab his qui ante nos ſceptra impe-
rij tenuerunt, ad ipſum ſcriptũ eſſe, tam uarijs, á-
que recto alienis dogmatum fraudib. ac blaſphe
mijs utentem, quàm omnia iam nunc perturba-
ta reddentem, & de errore ſolum utriuſque hære-
ſiarchæ, Neſtorij ſcilicet & Eutychetis hauſtis

*Seuerus Simoniacus inuaſor eccleſiarum.*

*Fœcial.* ἀκήρυκτον, *nõ denũciatũ, aut indictũ.*

abominandis,& cum religione pugnantib. dog
matibus innitentem, & utriuſq; horum peruer-
ſiſs. ducum: qui tametſi nonnihil inter ſe diſside-
re uideantur, ad unum tamen impietatis finem
tendunt, notorias diſputationes effingentem.
*Neſtorij et Eutychetis dogmata.* Nam cum duo inter ſe contraria ſint dogmata,
tã Neſtorij quàm Eutychetis, ut diximus, quorũ
utrunq; ex æquo mortem animæ importat, quæ
ex ipſis Arianorum & Apollinaris impiamentis
conſtant, mirabiliter tamen & præter opinionẽ
ipſe affectus, ſimiliter in utrunq; incidit: & nunc
huic, nunc illi primas partes deferens commune
ſe ſuoſq; ſermones tantorum piaculorum rece-
ptaculum conſtituiſſe uidetur.

Eſto igit̃ & ipſe p̃dicto anathemati obnoxius,
ꝙ uniuerſus patriarchalis, ſacerdotalis, et mona
chalis reip. noſtrę, ut ita dicamus, ordo iuſtè ei in
duxit: et Theopolitanorũ eccleſia eiectus, ꝓpte-
rea ꝙ & illius urbis ſedes eũ repulerit, quaſi qui
ne initiò quidem ritè ipſam occuparit: uiuẽte ni-
mirum adhuc, & in ſacroſanctis eccleſijs hincin-
de ſacras cõciones habente eo, qui ante ipſum ſa
cerdotio functus eſt, & nunc à ſucceſſore ſuo ſa-
cerdotio excluſus ſit: neque intra hoſce tantum
terminos reſtiterit, ſed iam etiam ſub generale a-
nathema orthodoxæ & catholicæ Eccleſiæ reie-
ctus ſit: & multis maledicis & prohibitis libris
rempub. nobis referſerit.

Vnde & in uniuerſum omnib. interdicimus,
ne quid

ne quid librorum eius comparent. Et quemadmodum Neſtorij libros deſcribere aut comparare non licet, propterea quòd ante nos Imperatoribus in ſuis conſtitutionibus uideantur Porphyrij ſcriptis contra Chriſtianos editis ſimiles exiſtere: ita neq; Seueri dicta ſcriptáue apud quenquam Chriſtianorum manento, ſed profana ſunto, & à catholica Eccleſia aliena, ignićq; cōburuntor à poſſeſſoribus, niſi illis retinendis in periculum adduci uelint. Præterea à nemine in poſterum conſcribuntor, ſiue librarius aliquis, ſiue notarius, ſiue quiſquam alius ſit: ſciens quòd illius dicta conſcribentibus abſciſio manus in pœnam irrogabitur. Nolumus enim, ut illorum blaſphemia ad alia prorepat ſecula.

*Vt Theodoſ. & Valentin. 1. cod. tit. 5. l. 6. Damnato, &c.*

*Mutilatio, pœna ſcribentium hæretica dogmata.*

Conſimiliter & illi huius regiæ urbis, eiuſcq; confiniorum, & alicuius inſignioris ciuitatis ingreſſu interdicimus: ſed ut in ſolo aliquo loco & ſilentio deſideat, neq; alios corrumpat, neq; ad proferendas blaſphemias eos inducat, neq; contra uera dogmata noui aliquid inueniat, per quod denuò nobis ſacroſanctas perturbare ſtudeat eccleſias.

Sed neq; Petrum, qui Apameæ epiſcopus fuit, remotum à gradu eccleſiaſtico, & iiſdem de cauſis, quamobrem Seuerus, anathemate, ut uocant, percuſſum, maieſtas imperatoria admittit. Sed rata ſunto, etiam quæ aduerſus ipſum decreta ſunt. Et quemadmodum ſub generale anathe

*Damnatio Petri epiſcopi Apameæ.*

ma redactus eſt, ita & redactus eſto, ſentētia quę de his ipſis à ſanctiſsimis ſummis pontificib. proceſsit, rata permanēte. Ac neq; illi permittimus, ut hanc regiam urbem, eiúsue confinia, aut præſtantiorem aliquam ciuitatem incolat: ſed quorum ſecutus eſt errorem, horum imitetur etiam in degenda uita rationem, quàm longiſsimè ab hominum conſuetudine remotus, ſéq; ipſum latebris occultans. Siquidem multo præſtabilius eſt, hoc genus hominū latitare, quàm in publica luce & ante omniū oculos uerſari. Nam ſi latitēt, ſibi ipſis tantummodo erunt incommodi: ſi uerò dogmata ſua publicent, & uulgo proferant, multis ſimplicioribus occaſionem præbent ad interitum. Quod quidē ut aliquo modo in Chriſtiano Dei ouili, & pio rectéq; ſentiente populo eueniat, neq; iuſtum eſt, neq; à maieſtate imperatoria concedendum.

*Zooræ monachi damnatio.*

Quia uerò & Zooram religioſè ſimul & iuſtè iudicantes epiſcopi dignum putauerunt, quem omnino ſub anathema redigerent, ut qui ueluti breue quoddam additamentum eſſet eiuſmodi malorum, ad quæ peragenda promptiſsimus fuit, & magnam facultatem habuit, ne omnino memoriam illi adimamus, quòd aliqua in re facultate præditus fuerit, eſto ſane Zooras etiam particulę huius (de Anthimo, Seuero, & Petro loquimur) leue quoddam additamentum, & inter eos qui anathemate notati ſunt, ex ſacerdotali cōtra

ipſum

ipſum prolata ſententia ipſe quoq; collocator. Quam tametſi per ſe ſatis ualentem, multo tamē adhuc ualentiorē reddit maieſtas imperatoria, quæ regia hac urbe ipſum expellit, eiuſq; confinijs & urbium incolatu omnifariam ei interdicit. Vt cum ſolis illis, quos antè recenſuimus, ad eundem modum blaſphemantibus, ad eundem quoque modum relegatis, habitet, captetq; conſilia.

Si quid præterea aliud quoq; ſanctiſsimorum epiſcoporum ſententia, quæ prædictos à gradu detrahit eccleſiaſtico, & anathemate percellit, cōtinetur, pro rato et illud habemus, imperialibúsque id legibus corroboramus, perinde quaſi ab ipſa maieſtate imperatoria prodijſſet. Quod ſi quis eorum aduerſus hæc ſtatuta deprehendatur delinquere, ſciat quod in ciuiles leges incidet, quæ in maiorem indignationem & animaduerſionem conijciunt eos qui pœnas leuiores declinant.

*Cōfirmatio decretorum ſacerdotalium.*

*Pœna præuaricantium.*

Porrò omnibus qui uel ſecundum doctrinam dementis Neſtorij, uel ſecundum ſtolidam traditionem Eutychetis, uel ſecundum Seueri, qui idem cum illis ſentit, aut illos ſequentium blaſphemiam, catholicam Dei Eccleſiam conātur diuellere, prohibemus, ne tumultus eccleſijs immittant, aut de fide aliquid diſſerant. Sed ſancimus, ut unūſquiſq; eorum ſilentium agat, & neq; ullos in unum cōuocent, neq; adeuntes recipiant,

neq; improbato more baptizare, aut ſacram cõmunionem defœdare, & aliquibus eam distribuere, aut uetitas doctrinas explanare audeant, uel in regia hac noſtra urbe, uel alia: ſed nihil non periculi reuereantur, ſi quid tale perpetrauerint. Omnibus inſuper prohibemus, ne quis hunc recipiat. Quin potius ſancimus, ut ex urbibus etiã quæ ab ipſis ſeducuntur, eijciant. Scientes, pœnas ſacris noſtris iam comprehenſas conſtitutionibus, quæ ipſas etiã domus, in quibus tale quid peragitur, & prædia ex quibus alimenta ſuppeditantur, ſacroſanctis addicunt eccleſijs, ſuis adimenda poſſeſſoribus: quia ſimpliciorib. cauſam mali præbent, optimo uerò iure ſub dominium ſacroſanctarum eas eccleſiarum deducentes.

*Concordiæ & pacis eccleſiarũ conſtituendæ ratio melior quàm in ficta Iuſtiniani lege.*

Hæc nos pro communi ſacroſanctarum eccleſiarum pace ſancimus, hæc decernimus, ſanctorũ patrum decreta ſecuti: ut omnes de cætero ſacerdotes ſub tranquillitate & quiete permaneant. Quibus ipſis in pace conſeruatis, reliqua etiam reipublicę portio nobis perglíſcet, pace deſuper uigeſcente, quam omnibus magnus ille Deus & ſeruator noſter Ieſus Chriſtus, unus de trinitate unigenitum Dei uerbum tam prædicat, quàm ſuppeditat his qui uerè & ex animo glorificare ipſum & adorare dignantur. Quę igitur rectè nobis placuerunt, ea beatitudo tua conſeruato, & ad effectum deducito, per Dei amantes ſuas literas, ea omnibus ſub ſe cõſtitutis religioſiſsimis

me-

metropolitanis tranſmittens. Quorum unicuiq; curæ erit, ſacroſanctis ſub ſe conſtitutis eccleſijs hæc manifeſta facere, ut neminem omnium lateant, quæ ſummum ſacerdotium decreuerit, quæ item maieſtas imperatoria corrobauerit.

### DE MYSTERIIS ET SACRAMENTIS FIDEI *& Eccleſiæ catholicæ, unionisq; Chriſtianæ.*

QVandoquidem Innocentij tertij Papę Rom. decretalis De ſumma trinitate & fide catholica, mentionem facit ſacramẽtorum baptiſmi & cœnæ Dominicæ, uiſum eſt etiam indicare; quid diuus Iuſtinianus de myſterijs unionis & communionis ſanctorum conſtituerit. Maximè quum hodie Chriſtiani acerbiſsimè digladientur inter ſe, de ſacramentis uenerandis fidei catholicæ. Iuo etiam Carnotenſis epiſcopus libro primo Pãnormiæ, ſub titulo De ſumma trinitate, pluribus agit de baptiſmo & euchariſtia. Iuſtinianus quidem Imperator cõſtitutione authentica & nouella C XXIII. tum de alijs multis eccleſiaſticis tractat capitulis, tum etiam de ſacris myſterijs fidei, quæ carptim huc tranſcribam.

### DE ECCLESIASTICIS DIVERSIS CAPITVLIS *conſtit. 123. Imp. Iuſtinianus Auguſtus Petro glorioſiſs. magiſtro ſacrorum officiorum.*

SI leges ciuiles, quarum poteſtatem fidei noſtræ Deus pro ſuo erga homines amore concredidit, per omnia firmas ac ſtabiles conſeruari ad ſubditorũ ſecuritatem ſtudemus: quãto plus ſtudij debemus circa ſacrarum regularum & diuinarum legum obſeruationem reponere, quæ pro ſalute animarum noſtrarum definitæ & conſtitutæ ſunt? Qui enim ſacros obſeruant canones,

*Cõparatũ. Magis diuinas præſcriptiões, quàm leges humanas ſeruare oportet.*

*Præmia obſeruantium Dei leges, et pœnæ cõtemnentium.*

nes, hi Domini Dei potiuntur auxilio. Et qui in hoſce præuaricantur, ij ſeipſos condemnationi ſubijciunt. Maiori autem condemnationi obnoxij erunt religioſiſsimi epiſcopi, quorum ſi dei commiſſa eſt canonum inquiſitio, & cuſtodia, ſi quid in his trangreſſum, inultũ reliquerint.

*Non leuis reprehenſio ſacerdotũ etiam Iuſtiniani temporibus: hodie uerò peius habent res eccleſiaſticæ.*

*O ſi hodie quoque illa diligentia in cauſis fidei ſeruaretur.*

*Comparato impunitas & licentia peccandi adimitur laicis & clericis.*

Sacris ſanè canonibus non obſeruatis, uarias contra clericos & monachos, ac nonnullos epiſcopos interpellationes ſuſcepimus, quod ſecundum ſacros canones uitam non inſtituant. Alij etiam, ne ipſas quidem ſacræ oblationis, & ſacri baptiſmatis preces ſcire dicuntur. Dei itaq; iudicium reuoluentes in animo, in unoquoq; horum quæ renunciata ſunt nobis, quæſtionem & correctionẽ canonicè iuſsimus procedere. Nam ſi generales leges ea quæ perperam admittuntur à laicis, non concedunt ſine quæſtione & uindicta relinqui: quomodo ea quę à ſanctis apoſtolis & patribus ad fidelium hominum ſalutem regulariter ſunt diſpoſita, deſpici ſuſtineamus?

Et paulo pòſt de ſacerdotum examinatione:

*Examen & ordinatio ſacerdotum.*

Sed & illud, inquit, pleriſq; non paruam delinquendi occaſionem præbuit, quòd epiſcopi ac presbyteri, neq; non diaconi, & reliqui clerici, ſine examinatione, & de recta fide & uitę honeſtate, teſtimonio ordinentur. Nam ſi illi quibus negotium datum eſt orandi pro populo, indigni miniſterio Dei inuenti fuerint, quomodo pro populi delictis placare Deum poterunt? Quod

uerò

uerò ordinationes ſacerdotum conueniat cum ſumma fieri dilig\u0113tia, docet nos inter ſanctos habitus Gregorius theologus, ſanctos Apoſtolos & ſacros ſecutus canones. Ac poſtea: Sanctas regulas & quotidianum eccleſiæ miniſterium edoctus epiſcopus ordinetur. Qui enim alios debet docere, poſt ordinationem ab alijs doceri nõ debet. Exigatur autem prius ab eo qui ordinandus eſt, per eum qui ordinat, libellus cum propria illius ſubſcriptione, quæ rationem rectæ fidei eius comprehendat. Pronunciet autem is ſacram etiam oblationem, quæ in ſancta fit cõmunione, & cum cæteris precib. eas quoq; quæ in ſacro proferuntur baptiſmate.

*Greg. Nazianzenus.*

*Sacri canones diuina ſcripta.*

*Doctos epiſcopos requirit, nõ craſſos.*

Et poſt multa uerba interiecta.

Ad hęc iubemus, & omnes epiſcopi pariter & presbyteri, non tacito modo, ſed clara uoce, quæ à fideli populo exaudiatur, ſacram † oblationē & preces in ſancto baptiſmate adhibitas celebrent: quo maiore exinde deuotione in depromendis Domini Dei laudibus audientium animi efferantur. Ita enim & diuus Apoſtolus docet, dicens in prima ad Corinthios epiſtola: Enimuero ſi ſolũmodo benedicas ſpiritu, quomodo is qui priuati locum implet, dicet ad gratiarum actionem tuam Deo ipſum Amen? quandoquidem quid dicas, non uidet. Tu quidem pulchrè gratias agis: alter aũt non ædificat. Et rurſus in epiſtola ad Rom. ſic inquit: Corde quidem creditur ad iuſtitiam,

*Clara uoce & lingua uulgari myſteria peragenda ſunt.*

*† προσκομιδὴν.*

*1. Corinth. 14.*

*Rom. 10. Fidei ergo cõfeßio exiſtit in ſacramentis.*

tiam, ore autem fit confeſsio ad ſalutem. His igitur de cauſis conuenit, ut inter cæteras preces, & ea quæ in ſancta oblatione dicuntur, clara uoce à religioſiſsimis epiſcopis & presbyteris Domino noſtro Ieſu Chriſto, Deo noſtro cum patre & ſancto ſpiritu proferantur. Sciturìs religioſiſsimis ſacerdotibus, quòd ſi quid horum neglexerint, & in horrẽdo iudicio magni Dei & ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti de his rationem reddent: neq; nos hæc cognoſcentes conquieſcemus, relinquemusq́; inulta.

*Pœna delinquẽtium ſacerdotũ in myſterijs.*

Diligenter obſeruari uelim, quòd Iuſtinianus Imperator in conſtituendo ritu ſacrorum & myſteriorum baptiſmi & euchariſtiæ, nullam prorſus facit mentionem commutationis rerum ſymbolicarũ, ſiue tranſubſtantiationis, neq; præſentiæ localis rerum cœleſtium, nec applicationis gratiæ Dei per ſacramenta. Verùm ut in ſacris libris inſtitutio ſacramentorum Eccleſiæ à IESV CHRISTO tradita legitur, ita ſimpliciter eam obſeruari iubet Iuſtinianus. Quod ſi hanc legem obſeruaſſent eccleſiarum occidentalium antiſtites, nũquam iſtæ contentiones, & prophanatio ſacramentorum inualuiſſent. Nam cõfeſtim à migratiõe Iuſtiniani, Pelagius Ro. epiſcopus inuexit in cœnam Domini, & in Miſſam, ut nunc frequentius Ebraico nomine dicitur, memoriam mortuorum: Gregorius expiationem peccatorum, Innocentius Papa tranſubſtantiationem panis & uini in corpus & ſanguinem Domini: Honorius adorationem, & alij aliud introduxerunt. Donec epulum euchariſticum, & celebratio paſsionis Domini, per quam redempti & ſeruati ſumus, abijt in miſſam meritoriam & mercenariam, ut non dicam negotiationem ſimoniacam.

*Multo ſimplicior ritus ſacramẽtorum Iuſtiniani tẽpore, quàm hodie ſit.*

Vetuit etiam diuus Iuſtinianus, ne ſanctum baptiſ-

ma iteretur: ueluti 1. lib. Cod. tit. 6. lege Imperatorum Valentiniani, Valentis & Gratiani: Antiſtitem, qui ſanctitatem baptiſmatis illicita uſurpatione geminauerit, ſacerdotio indignum eſſe cenſemus. Eorum enim condemnamus errorem, qui apoſtolorum præcepta calcantes, Chriſtiani nominis ſacramenta ſortitos, alio rurſus baptiſmate non purificant, ſed inceſtāt, lauacri nomine polluentes. Et pueros ad baptiſmum admitti iubet Nouella conſtitutione 144. adultos uerò doceri iubet, priuſquam baptizentur. Quem ritum Eccleſię uetuſtiſſimum in Eccleſia Dei fuiſſe, & ab ipſis apoſtolis traditum, qui à Domino Chriſto acceperunt, diſcimus in eccleſiaſtica Hierarchia beati Dionyſij, & in alijs antiquis Eccleſiæ doctoribus.

*Non rebaptizādi homines. de quo tamē diſcrepātes opiniones fuerunt.*

Proinde ad reformationem eccleſiarum & reſtituendam pacem atq; concordiam optimum foret, in his quę fidem catholicam & ſummam attingunt trinitatem, obſeruare quod imperatores Chriſtiani Honorius et Theodoſius ſanxerunt: Ea quæ circa catholicam fidem uel ordinauit antiquitas, uel parentum noſtrorum authoritas religioſa cōſtituit, uel noſtra ſerenitas roborauit, nouella ſuperſtitione remota, integra & inuiolata cuſtodire præcipimus.

## DE SVMMA TRINITATE ET FIDE CATHOLICA LIBER ſecundus.

BEATVS Anaſtaſius Antiochenus patriarcha, lōgè doctiſsimus & ſanctiſs. uir, qui diuum Iuſtinianum Imperatorē in uiam ſalutis & orthodoxæ fidei reduxit, quū declinaſſet ultima ætate in hæreſim Aphthartodocitarum, librum ſcripſit ὁδηγόν, hoc eſt, uiæ rectæ indicem ac ducem titulo, collectis non indiligenter in eum

*Anaſtaſius de ratione definiēdi.*

ex libris diuinis & humanis, quæ ad inſtitutum hoc pertinere iudicauit. In eo libro præcipit ſtudioſis doctrinæ Chriſtianæ, ut nullam uocem dogmaticam recipiãt, niſi probè excuſſam: ut eius etymologiam & definitionẽ & diuiſionem teneant. Quod in ſcholis dialecticorum & philoſophorum confeſſum eſt, neminem tenere ſciẽtiam ullius rei, niſi definitione & diuiſione demonſtratã acceperit: ac facilè decipi eos in rerum indagatione, qui uim ignorant uerborum: utq; uulgò loqui ſolent, facilè parologizantur, ignorantes uirtutem uocabulorum.

*Iuriſperitorum ſententia de arte finiendi.*

Idem uerò iudicaſſe etiam iuriſperitos, & legum interpretes ac latores præcipuos, liquet ex ijs libris, quos de rerum & uerborum ſignificatione ſcripſerunt, itemq; in libris Inſtitutionum, regularum, & finium ſiue definitionũ. Et quàm ſit in iure ciuili non modò utilis, uerùm etiam neceſſaria ſcientia definiendi res & uerba, itemq; diuidendi & partiendi, copioſè oſtendit Marcus Tullius lib. 1. de Oratore. Aliquoties in ipſis legibus & conſtitutionibus adhibentur definitiones. ut conſtitutione authentica 68. initiò iuſtitia definitur, & etymon exponitur ſummatim. Et in his legibus ſub titulo De ſumma trinitate ac fide catholica, multæ ponuntur finitiones.

*Quales definitiones in legibus.*

Quanquam definitiones in legibus, & in forenſi diſceptatione haud componuntur ea ſubtilitate, quam requirit dialectica: ut ex genere & differentia uel proprio componatur oratio, quæ quid ſit res, breuiter & abſolutè oſtendat: ſed res populares trutina populari expendũtur. Vt latæ culpæ finis eſt, non intelligere id quod omnes intelligunt. Vlpianus etiam iudicauit, omnem definitionem in iure ciuili eſſe periculoſam: eo quòd rarum ſit, ut ſubuerti non poſsit. Proinde orator, ſi uir bonus eſt, definit rem, ut penitiſsimè perſpici queat, copioſè & ſplendidè. Lator legum cogitat, ſe leges dare hominib. ſanę mentis, qui uſum rationis adepti ſunt, neq; ignorãt ea negotia quæ ad omnes pertinent. Ideo legum condi-

*Maximum artificium finire bene.*

tores

tores uel nullam definitionem ponunt, uel rem breui deſcriptione & ad uulgi captum accommoda notaſſe contenti ſunt. Aut ſi quis eſt tam rudis & negligẽs, ut publicum & commune ius ignoret, easq́ʒ res quæ in uſu uulgari exiſtunt: eum remittunt uel ad inſtitutiones & elementa ſcientiæ legitimę, uel ad magiſtros & profeſſores iuris, à quibus diſcant, quæ ignorare minimè conuenit.

*Lex generaliſſima princeps & moderatrix aliarum.*

Vt uerbi gratia, Imperatores Auguſti Valentinianus & Martianus lib. 1. Cod. tit. 14. de legibus, & conſtitutionibus, & edictis principum edicunt. Leges ſacratiſsimæ quæ conſtringunt omnium uitas, intelligi ab omnibus debent: ut uniuerſi præſcripto earum manifeſtius cognito, uel inhibita declinẽt, uel permiſſa ſectent. Si quid uerò in ijſdem legibus latum fortaſsis obſcurius fuerit, oportet id ab imperatoria interpretatione patefieri, duritiamq́ʒ legum noſtra humanitate incongruam emendari. Hæc lex maximè pertinet ad omnes imperij ciues, quippe legum aliarum princeps, & interpres, & moderatrix. Habet tamen quædam non triuialis & uulgaris notitiæ. plurimi enim ignorant, quid ſit lex, conſtitutio, edictum: quid obſcurum aut planum in legibus: quid incongrua legum duritia, & rigor nimius, ut ex ſummo iure ſumma fiat iniuria: quid principis aut iudicis humanitas & ἐπιείκεια, quæ non uerba & ſyllabas urget ſycophanticè, uerùm expenſis circunſtantijs, & fine legum, ac iuris ciuilis ſcriptũ moderatur æquitate bonitate. Hęc autem legislator cognoſci petit: & præſupponit, ut aiũt, ab omnibus hæc cognoſci, antequam lex in publicum proponatur. Aut ſi quis ignorat, eum remittit ad profeſſores & iuratos interpretes legum, uel ad elementa & libros Inſtitutionum, unde diſcat.

*Quales definitiones in his legib.*

Nec aliter ſe res habet in his legibus de ritè colendo principe ac parente omnium Deo, & de fide catholica. Principes enim Chriſtianiſsimi, quũ ſacræ ſcripturæ tractatio illo tempore in omnibus eccleſijs & ſcholis Chri-

ſtianis ferueret, nec ullus ad baptiſmum admitteretur, qui non profiteri poſſet rudimenta & principia Chriſtianæ inſtitutionis, quæ in ſymbolo fidei orthodoxæ continentur: non eam ſubtilem & minutam explicationem rerum ac uerborum adhibent, quam in ſcholis catechiſtæ pueris aut rudibus Chriſtianiſmi adhibent, aut quã eccleſiæ magiſter concioni uulgari accõmodat: aut quales definitiones & diuiſiones perſequitur, qui de fidei Chriſtianæ capitibus cum aduerſario diſputat. Etenim latores legum tanquam cum ſcientibus dogmata & prę cepta Chriſtianæ religionis agunt. Si quis uerò nonnulla ignorat, is remittitur ad ſcholas & eccleſias, aut ad libros eorum qui doctrinam Chriſtianam methodo certaq́ ratione diſcendi ac docendi expoſuerunt. Hæc iudicaui adnotanda eſſe initiò de rerum ac uerborum definitionibus uſitatis in iure ciuili. Iam ex probatis authorib. definitiones explicabo: ut leges tum exactius intelligi poſsint, tum ad uſum uitæ rectius accommodari.

## SVMMA TRINITAS.

*Nomẽ trinitatis.*

Rectius'ne ac latinius dicatur trinitas, an ternitas, an ternio, an ternarius, poſtquam Eccleſiæ Chriſti uocẽ trinitatis receperunt, non magnopere laborandum eſſe iudico. Græce dicitur Τριὰς: quo uerbo & Latini crebrò utuntur, triada uocantes trinitatẽ. In mathematicis quidem & phyſicis, & alijs rebus trinitas numerum notare omnes ſciunt, nempe collectionem trium unitatum. Per excellẽtiam uerò in theologia, & doctrina pietatis, Deum optimum & maximum ſignificat: & definitur à beato Anaſtaſio, κατὰ θεϊκὴν οὐσίαν ὑπεράριθμος ὕπαρξις, hoc eſt exiſtentia ſecundum eſſentiam diuinam, omnem excedens numerum. Eam appellationem diuinæ maieſtatis omnes eccleſiæ Chriſti uſurpant in ſua lingua: & plerunque cũ adiectiuo, ſancta, adoranda, cõſubſtantialis, indiuiſa & indiuidua ſumma trinitas. Vtq́ Græci dicũt trias, ita Germani drifalltikeit/ vnd heilige/ onzerteilte

*Trinitatis nomẽ in eccleſijs omnibus.*

drifallti-

drifalltikeit. Arabes & Pœni, quorũ lingua uicina eſt
Ebraicæ linguæ, dicũt ſchaluſch, ut Ebræi ſchiluſch. Vn
de Auguſtinus putauit Latinos accepiſſe nomẽ Salus.
Quum uerò Pagani multos fingãt deos, Iudæi & Ma
humedici & monarchici, alijq́; hæretici negent tres per-
ſonas, & Ariani alium fingant deum, Eccleſia catholica
ſapientiſsimè diuinum hoc nomen inſtituit, quo ſignifi-
cat unum, uerum, æternum, omnipotentem Deum. utq́;
diuina maieſtas concionem orditur, Ego Dominus De
us, uel dij, qui eduxi te de terra Aegypti: ut Moſes ordi-
tur hiſtoriã ſuam, In principio creauit Deus, uel dij, cœ-
lum & terram: ita obtinuit religio, ut pij res magnas, ue-
luti ſymbola fidei, & fœdera, & leges auſpicatò exordiã
tur à nomine ſanctæ, ſummæ & indiuiduæ trinitatis.

*Cauſa huius nominis in Eccleſia.*

Cæterùm ut unus ſit Deus, & tres perſonæ, explicat
Athanaſius in ſymbolo, & Iuſtinus in expoſitiõe fidei,
& alij theologi, qui de trinitate ſcripſerunt. Eſtq́; res illa
theologiæ altiſsimæ, quam ratio hominis perueſtigari
nõ potuiſſet, niſi Deus ipſe in uerbo ſuo, & in multis per
totum mundum ueluti ſimulachris & ueſtigijs, ut ſolis,
ut ignis, ut fontis, ut trianguli, ut memoriæ, intellectus,
uoluntatis in eadem anima, ſeſe patefeciſſet. Eſſentia
uel ſubſtantia, οὐσία & φύσις, natura una & eadem eſt pa-
tris, & filij, & ſpiritus ſancti θεότης, diuinitas. Perſona ue
rò eſt τρόπος ὑπάρξεως, modus exiſtendi, ut Iuſtinus dicit.
Et tres perſonas diſcernũt ἰδιόματα, idiomata, proprieta
tes uel notiones. Quia pater ab æterno generat filium:
filius generatur, & præfinitis temporibus adſumpſit
humanam carnem: ſpiritus ſanctus ab utroque proce-
dit. Ideo tres hi natura & eſſentia ſunt unus Deus, non
tres dij, ut Fritheitæ fabulati ſunt, utq́; nos opinari dicũt
Iudæi & Mahumedici. Et hoc dicitur ὁμοούσιον, ſimul &
pariter eiuſdem eſſentiæ. de quo Hilarius & ſynodi non-
nullæ haud indiligenter diſſeruerunt. Quod lex prima
exprimit quàm breuiſsimè, ut credamus unam deitatem

*Trinitas & unitas.*

*Eſsentia & diuinitas una triũ perſonarum.*

patris,

patris, & filij, & ſpiritus ſancti, ſub pari maieſtate, & pia trinitate. Et lex ſecunda pluſculis uerbis deſcriptionem ſummæ trinitatis profert: ut confiteamur omnipotentē Deum, & Chriſtum filium Dei, & ſpiritum ſanctū unū Deum indiuiſa ſubſtantia.

*Definitio uel deſcriptio trinitatis in his legibus.*

## FIDES.

*Fidei etymō Latinum & Græcum.*

Fides nomen ex eo habet, cum fit, quod dicitur, authore Cicerone in Officijs. Quam etymologiam probat etiam diuus Auguſtinus, in libro de Mendacio, ad Creſconium grammaticum. Græcè dicitur πίσις, & πεισμονὴ, & πειθὼ: quæ deriuantur ex πείθω, fido, obedio, ſuadeo, perſuadeo. Vnde potius crediderim Latinos accepiſſe nomen fides; p in f, & th in d mutatis, ut ſæpe fit. Nonnulli obſeruantes proprietatem & elegantiam ſermonis Latini, maluerūt dicere perſuaſionem Chriſtianā, quàm fidem. Germani dicunt trüw, ex Græco uerbo θαῤῥεῖν, & gloub. quia loben priori ſyllaba breui, & globen, ſignificat promittere, uouere, paciſci. Ebræorum ſacra lingua fidem & ueritatem, & fidere aut credere, in una uerborum cognatione habet. אמן amen enim ſonat ſolidum, firmū, durabile, conſtans aut ſtabile, tutum, fidele, certum. Inde אמת æmæth ueritas: & אמונה æmunah fides: & האמין hęemin fidere, credere, quaſi ratum, certum & firmum habere, aut facere.

*Etymon Germ. & Ebr.*

*Diſtinctio nominis fides.*

Eſtq; dictio fides multiplex, ut aliæ multæ in omni genere doctrinarum: ideoq; poſtulat diſtinctionem & enumerationem uariæ ſignificationis. Magiſter Lombardus libro 3. Sententiarum, ex Auguſtino recenſet tres ſignificationes. Gloſſa 1. libro Decretalium, exponens canonem, Firmiter credimus, de ſumma trinitate: octo uel plures enumerat, parum ſcitè, meo iudicio. Porrò quia ignorātia huius uerbi multas in Eccleſia peperit quęſtiones intricatas, non indiligenter aperienda eſt uis huius uerbi. Nam primò quidē fides eſt ſpecies notitiæ, ut ſcientia, opinio, ſuſpicio. Et definitur à Cicerone, firma opinio:

nio: ut in locutione illa, uerbis aut rebus fidem alicui facere. Secundò fides eſt argumentũ ſeu probatio, quę animo perſuadet, ut aſſenſum præbeat. Tertiò notat uirtutem animi, & probitatem, atq; officium. quam definiunt conſtantiam dictorum & factorum: quod eſt iuſtitiæ fundamentum. Hanc Auguſtinus appellat fidem hominum: qualis eſt fides coniugij, confœderatorum, ciuium & magiſtratus, & contrahentium. Vnde bonæ fidei, aut malæ fidei poſſeſsio dicitur, & ſimilia. Poſtremò ſignificat fiduciam, & præclaram æſtimationem de alterius fide ac probitate, quòd bona fide ſit uſurus erga nos, & non admiſſurus fraudẽ, aut improbitatẽ aliquã.

Quę ſignificatiões in ſalutis quoq; doctrina ſpectant. Nam primũ fides eſt hiſtorica notitia, & credulitas uel aſſenſio, pro ueris accipiens, quæ pronũciantur de Deo ac futuro ſeculo. quæ mortua fides à Iacobo apoſtolo dicitur: nec modò prauis hominibus conceditur, ſed etiam diabolo. Eam uocat Auguſtinus fidem nudam, inanem, uanam, falſam, reprobam, nullam fidem, non fidẽ, deniq; diabolicam fidem. Et contendit, minimè per illam ſeruari homines. Deinde fides ſignificat dogmata, quæ animi fides amplectitur, & credit, quomodo Athanaſius in ſymbolo ſuo dicit, Hæc eſt fides catholica. Et Hilarius epiſcopus conqueritur, poſt Nicænam confeſſionem ſubinde fidem ſcribi, quaſi fides non ſit. Qua ſignificatione fermè accipitur in Conſtitutionibus, ut lege 1. 2. 3. De ſumma trinitate & fide catholica. Tertiò eſt fiducia in Deum, & præclara exiſtimatio de miſericordia & bonitate illius, quòd nobis bene uelit ut pater, ac remittat peccata, & cõferre uelit nobis omnia neceſſaria ad beatam uitam, deniq; beatitudinem æternã, ſicuti promiſit, propter filium unigenitum IESVM CHRISTVM. Quam fidem Paulus docet conferre iuſtitiam hominibus, & ſeruare illos, & ſolam quidẽ abſq; operibus legis: quæ purificat corda, & efficit homines ſo

*Fides in rebus Chriſtianis.*

fidē probos, ut edant bona opera, ſicut arbor bona fructus bonos profert. Sine qua fide impoſsibile eſt quenquam placere Deo. De hac Paulus ad Rom. ad Galat. ad Ebræos, & alibi. Hanc Philo Ebræus uocat ἐλπίδα, ſpem & bonam fiduciam erga Deum, qua Seth, Enos alijq́ patriarchæ Deo probati ſunt. hominemq́ δύσελπιν negat hominis dignum appellatione: ſed potius eſſe θηρὼν, beſtiolam forma contectum humana dicit. Et Abraham hac fide pater eſt omnium credentium. Nam credere nihil eſt aliud, quàm fidem habere in Deo patre cœleſti. Eſt etiam fides Chriſtianorum, quam præſtant Chriſto & Eccleſiæ, ut promiſerunt, & ſacramentis obligati ſunt. Quomodo 1. Tim. 5. Apoſtolus dicit, eos qui ſuis non proſpiciunt, fidem abnegaſſe, & peiores eſſe ethnicis. Poſtremò quia fides primatum obtinet in cognitione Dei, & cultu, utq́ ſummum bonum expetamus, proſequamur, & adepti retineamus, & propter Deum ſanctē uiuamus, per ſynecdochen fides accipitur pro tota inſtitutione rectē, piē & beatē uiuendi. Cōplectitur ergo fidei dogmata, & præcepta uiuendi, & ſignacula fidei, & officia charitatis ac fidei, & Eccleſiam ac cœtum hominum fidelium. Quæ & religio dicitur & euſebia, & theoſebia, & ſecta. Et quia fides Iudæorum dicitur, & aliæ profeſsiones aut ſectæ fides dicuntur, epithetis diſtinguitur ab alijs religionibus. Dicitur enim Chriſtiana fides, recta fides, orthodoxa fides, catholica fides, orthodoxorū ſecta & fides. Quo ſenſu diuus Iuſtinianus dicit Conſtit. 132. pręcipuum, ſummúmque bonum, rectam ueræ & irreprehēſibilis fidei Chriſtianæ confeſsionem.

*Religio, Euſebia.*

*Ita Philoſophi, ut Plato, Cicero, & alij de philoſophia ſenſerunt.*

## DEFINITIONES FIDEI.

*Canoniſtarum definitio.*

Gloſſa decretalis Innocentij III. De ſumma trinitate ac fide catholica, ſatis petulanter, ne dicam prophanē exagitat fidei definitionem, quam Paulus Ebr. XI. cap. poſuit, quòd non ſit bona, uera, ſufficiens, conuertibilis

cum

cum ſuo definito. Et ſubijcit meliorem, ſi dijs placet, ut magiſtraliter hoc modo finiatur: Voluntaria certitudo abſentium infra ſcientiam & ſupra opinionem conſtituta. Voluerunt iſti gloſſatores canoniſtæ aliquid philoſophicū cornicari & crepare. Sed expendamus nos definitionem fidei, quam ſpiritus ſanctus eccleſiæ tradidit, quæ ſic habet: ἔστι δὲ πίστις ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων. Quę uetus interpres ita Latina fecit: Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerū, argumentum non apparentium. *Paulina definitio. Ebr. 11.* Commentarij Græci uocant ἔκφρασιν, deſcriptionem, quæ & ipſa quid res ſit, demonſtrat. Quum autem in definiendo ſumere oporteat uocem latius patentem, quàm illa ſit quæ iam explicanda eſt: eiq; adiungere alias, quæ rem ab alijs dirimant, loco generalioris uocis Apoſtolus ponit ὑπόστασιν, & ἔλεγχον. Cæterùm quia fides eſt animi qualitas, aut uirtus, & habitus animi diuinitùs infuſus, mirabitur aliquis hanc definitionem. Verùm Apoſtolus ſcientib. legem & ſcripturas prophetarum loquens, uerba etiam accipit ex diuino theſauro ueteris Teſtamenti. Et Solomon quidem ſapientiſsimus 8. cap. Prouerbiorum ediſſerens uim ſapientiæ uerę ac diuinę, ait, quòd diligentes ipſam faciat hæreditare יש iæſch, eſſe eſſentiam, id quod exiſtit. Cui opponitur הבל hæbel, uanum, inane, nihil. Ab eo uerbo deſcendit ישו ieſchu, eſſentia, quod nomē arcanum eſt Meſsiæ, & תושיה thuſchiah, ens, eſſentia. Quod Latinus uariè interpretatur, legem, ſapientiam, ueritatem, ſalutem: Græci aliquando ὕπαρξιν, quod æquipollet nomini ὑπόστασις. Significat autem Græcis diuerſa, modò expectationem ὑπομονὴν, ut quidam hoc loco intelligunt: modò perſonam, modò fundamentum cui aliud innititur, modò ſubſtantiam: ut commentarij Græci exponunt hoc loco οὐσίαν. Eſt ergo fides ipſa ueritas, & ſapientia, & ſubſtantia eorū quæ ſperamus, quæ Dei uerbo nobis ſunt promiſſa & propoſita: Dei nimi-

rum beneuolentia, gratia, fauor, cõſortium, ſimilitudo, & diuina beatitas. Eſt etiã elenchus, ἀπόδειξις, demõſtratio, ut Græci exponũt תוכחת thochahhath, euidens probatio eorum quę oculi corporei non cernũt. Vnde Iuſtinus quoq; dicit, fidem quæ Dei uerbum mordicus retinet, eſſe promptam ſolutionem quæſtionũ inextricabilium. Hinc liber Sapientiæ dicit, Omnes qui ſeruati ſunt, per ſapientiam ſeruatos eſſe. Et Auguſtinus dicit, in ueritate percipi Deum, & uitam æternã. Hanc Dauid uocat legem & theoriam Adami, qua ſeruatus eſt.

*Definitiones fidei in his legib.*

Cęterũ fidem catholicam, dum ſignificat totum Chriſtianiſmum, hæ leges bifariam definierunt. Nam lex prima iubet omnes imperij ciues in ea religione uerſari, quam Petrus apoſtolus Romanis tradidit, quæq; Romæ uigebat adhuc, quum lex ferretur, eratq; uulgò notiſsima, quam Damaſus epiſcopus Romę, & Petrus Alexandriæ patriarcha, docuerunt illo tempore. Cæterùm titulo 5. lib. 1. Cod. de hæreticis, lege 8. ſimiliter indicatur fides Athanaſij, Theophili, & Cyrilli, qui Alexandrinam rexerunt eccleſiam.

*Definitio qualis per exempla.*

Hoc genus definiendi, aut deſcribendi, Boethus conſul Rom. Iuſtiniani æuo, τύπον uocat, id eſt, formam & ſpecimen, uel ὡς τύπος, ueluti: quum res quæſita exemplo ſubiecto declaratur. Cuius definitionis plurimus eſt uſus tum in omnibus ſciẽtijs, tum in iure ciuili: quia breuiſsimè & ad captum uulgi accommodè res declarat. ueluti, bona ſoli ſunt ut ager, mobilia ut pecuniæ, ſeſe mouentia ut mancipia. Hæc nemo tam craſſus eſt qui non intelligat. Sic grammatica definietur eſſe, quam docuit Priſcianus aut Donatus: medicina, quam docuit Hippocrates & Galenus: iuriſprudentia, quã docuit Vlpianus, aut Caius, aut Iuſtinianus: & fides Chriſtiana, quam docuit Paulus, aut Petrus, aut alij Apoſtoli.

Cæterùm ut imperante, ac legem hanc ferente Theodoſio notiſsimũ fuit, quam fidem Romanis tradidiſſet

apoſtolus Petrus, aut quam Damaſus & Petrus Alexã-drinus docuerint: ita hodie multis ignotum eſt uel Romæ, poſtquam inſtitutio Chriſtiana penitus nunc mutata eſt. Quapropter fides quam Petrus Rom. tradidit, ex authoribus optimis oſtendenda eſt. De quo audiamus Euſebium Cæſarienſem lib. 2. Hiſtoriæ eccleſ. cap. 14. & 15. Petrus, inquit, adueniens ex orientis partibus, ut cœleſtis quidam negotiator, mercimonia diuini luminis, ſi quis ſit comparare paratus, aduexit, & ſalutaris prædicationis uerbo primus in urbe Roma euangelij ſui clauibus ianuam regni cœleſtis aperuit. Igitur cum Romanæ urbi clarum uerbi Dei lumen fuiſſet exortum, Simonis quidẽ tenebræ cum ſuo authore reſtinctæ ſunt. Sermo autem ueritatis & lucis, qui per Petrum prædicabatur, uniuerſorum mẽtes placido illuſtrauit auditu: ita ut quotidie audientibus eum nulla unq; ſatietas fieret. Vnde neq; auditio eis ſola ſuffecit: ſed Marcum diſcipulum eius omnibus precibus exorant, uti ea quæ ille uerbo prædicabat, ad perpetuam eorum commonitionem habendam ſcripturæ traderet. Et hæc fuit cauſa ſcribendi, quod ſecundum Marcum dicitur, Euangelium, quæ ex Clemente Alexandrino, & Papia Ioannis euangeliſtæ diſcipulo Euſebius tranſcripſit. Vnde quiuis poteſt cognoſcere, quam fidem catholicam tradiderit Petrus Romanis: utiq; illam, quæ in euangelio ſecundũm Marcũ, & in cæteris euangeliſtis extat. Eandem quoq; fidem in catholicis duabus epiſtolis Romæ ſcriptis uulgauit. Nec diuerſum uel Hieroſolymis, uel Antiochiæ, uel alibi docuit, ut Apoſtolorum acta, & libri Clementis Romani, diſcipuli Petri & ſucceſſoris, teſtant̃. Nec aliud in *κηρύγματι*, id eſt præconio Petri legimus, quatenus eius libri ſuperſunt reliquiæ. Et illam ipſam fidem cæteri apoſtoli tradiderunt omnibus gentibus ac populis: ſicuti eis mandauit Dominus aſcendens in cœlũ, ut Matth. 28. capite legimus. Cuius breuiſsima ſumma continetur

*Quam fidem catholicam Petrus apoſtolus Rom. docuerit.*

*Claues Petri.*

*Euãgelium Marci.*

in Symbolo apoſtolorum, quod etiam Rom. dicit: & in confeſsione Petri, quam edidit omniũ diſcipulorũ Chriſti nomine multo breuius. Dixit enim: Tu es ille Chriſtus, filius Dei uiui. Et uiciſsim audit à Domino: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meã, & portæ inferorum non præualebunt illi. Et reliqua.

*Petri confeßio.*

Porrò quid epiſcopus Ro. Damaſus crediderit, quid docuerit, patet ex ipſius ſymbolo, quod extat in ſecundo tomo librorum Hieronymi: congruitq; paraphraſi Nicænæ ſymboli, quam Gregorius Nazianzenus theologus edidit. Clariſsimè quoque Damaſus fidẽ ſuam teſtatus eſt in epiſtola quam ſcripſit ad conciliũ Cõſtantinopolitanum. Hortatur enim patres illos, ut memores apoſtolicæ fidei, quæ præcipuè in urbe Nicæna à patribus * ex ſcripto prolata eſt, firmo gradu ſtabiles in fide & immutabiles perdurent. Idem quoq; cum ipſo Petrũ Alexandrinum ſenſiſſe teſtatur: ut legimus lib. 9. hiſtor. Tripart. cap. 15. Et Nicephorus lib. 12. cap. 17. & 18. Quis ergo non uidet, iam Chriſtianiſsimos Imperatores eam fidem catholicam ciuibus imperij Rom. offerre & iniũgere, quam ſacrum Dei euangelium & apoſtolorum literæ docent: præter eam qui aliam adfert, etiamſi angelus ſit è cœlo, anathema ſit, ut Paulus proteſtatur.

*Damaſi fides.*

** Fortè rectius, ex ſcriptura.*

Altera definitio fidei enumerat membra & dogmata præcipuã fidei. Vt lex ſecunda catholicam religionẽ dicit fidem Nicænam, quæ confitetur omnipotentem Deum patrem, & filium Chriſtum, & ſpiritum ſanctũ, unum eſſe Deum cõſubſtantialem. Eandem fidem Nicænam requirit lex tertia & prima: ut ſecundum apoſtolicam diſciplinam, euangelicamq; doctrinam patris, & filij, & ſpiritus ſancti, unam deitatẽ ſub pia trinitate credamus. Duæ conſtitutiones, altera Iuſtiniano adſcripta, & altera Conſtantino, fuſè articulos fidei exponũt, nec iſtam breuitatem ſeruant. Et hæc fides rectiſsimè uocatur catholica. Nõ enim unius ætatis & ſeculi fides eſt,

*Definitio per enumerationem partium.*

eſt, nec unius loci, nec unius ſectę aut factionis peculiaris & propria eſt: ſed eſt cōmunis religio uniuerſis ſanctis ab origine mundi uſq; ad finē, in qua ſola nos oportet ſaluos fieri, ut inquit Petrus.

Eſt autem hæc definitio eſſentialis, quam Cicero uocat enumerationem partium: Boethus autem, definitionem à partibus. In qua non eſt neceſſe uniuerſas partes & membra colligere, præſertim ſi fuerint infinitæ partes aut ſpecies, uel certè quàmplurimę. Vt 1. lib. Inſtitut. & 1. lib. Digeſtorum definit ius ciuile, lex, plebiſſcitū, ſenatuſconſultum, principum placita, magiſtratuum edicta, reſponſa prudentium. Cicero autem tribus membris abſoluit definitionem. Dicit enim ius ciuile, quod conſiſtit in legibus, in more, & æquitate. Huius generis definitiones ſunt fidei ſymbola. *Definitio qualis à partibus.*

SYMBOLVM FIDEI ET ARTICVLI.

Gloſſa exponens decretalē Innocētij Papæ De ſumma trinitate ac fide catholica, magiſtraliter explicat ſymbolū. ut uel inde pateat, q̄ probati ſint & idonei doctores fidei Chriſtianę, qui ſe totos Papæ Rom. dediderūt. Symbolū, inquit, dicit̃ à σὺμ, q̄d eſt ſimul, & bolus, quod eſt morſellus: quia unuſquiſq; apoſtolorū ſuū morſellū, id eſt partem ſuā appoſuit. Ita fermè Durandus in Rationali diuinorum. Neſcio equidem ex quo iure, aut ex quo brodio grammatico bolos & morſellos iſtos collegerunt. Niſi fortè aliquid ſomniarunt de comœdiarum conuiuijs, in quibus alicubi dicitur, ut de ſymbolis eſſemus. Sed de ratione ac ui nominis poſtea. Nunc canoniſtas audiamus in Gloſſa illa ſua, ſuper canone præcipuo diſſerentes de Chriſtiana fide. Apoſtoli, inquiunt, eadem hora inſtinctu ſpiritus ſancti ſymbolum compoſuerunt. Id uocant ſymbolum paruum. Durandus & alij referunt, quam quiſq; apoſtolorum partem contulerit: perinde quaſi apoſtolorum concilio interfuerint. *Symboli explicatio inepta.*

Eſt & aliud ſymbolum maius, quod cantatur in Miſſa,

in Ni-

in Nicæna ſynodo factum propter Græcos, qui nõ credebant, quòd ſpiritus ſanctus procederet ab utroqꝫ. de conſecret. diſt. 5. can. ultimo & penult.. Id refellit Durandus, ſcribens quòd eccleſia Ro. ſemel in anno id recitet in officio ſacro. Et uerè ille quidem. Nam quod in miſſa ponitur, uel Romanum eſt, uel Conſtantinopolitanum. Sequitur in Gloſſa: Eſt & tertium ſymbolum Athanaſij, Quicunqꝫ uult ſaluus, &c. quod cantatur in prima. Iſtud poteſt appellari quartum ſymbolum, nempe decretalis Innocentij tertij, quæ tranſubſtantiationẽ panis & uini in corpus & ſanguinem Chriſti ponit inter articulos fidei catholicæ. Et ita ſunt modò quatuor ſymbola, ſicut quatuor euangelia. O' præclaros ſymbolorum iudices.

*Articuli fidei, ut canoniſtæ docēt.*

Verùm articulos etiam fidei catholicæ diſtinguere ab ijs diſcamus. Fides, inquit Gloſſa, aliquãdo collectio articulorum dicitur, ut lib. 1. Decretalium, De ſumma trinit. can. Firmiter. & XXIIII. quæſt. 1. Hæc eſt fides. & in ſymbolo Athanaſij. Principales articuli fidei noſtræ ſunt ſeptem, ſecundum quod ſeptem ſunt dona ſpiritus ſancti. Quos quilibet Chriſtianus ſcire tenetur, clerici explicitè, laici implicitè: & credere, ſicut tenet Eccleſia. Et ſunt hi articuli: Incarnatio, ſiue natiuitas: baptiſmus: paſſio Chriſti, ſiue mors eius: deſcẽſus ad inferos: reſurrectio, aſcenſus in cœlũ: aduentus eius in iudiciũ. De quibus habes in prima conſtitutione, firmiter. Pro quibus Ioãnes in Apocalypſi legitur fleuiſſe, ubi dicit: Vidi librum ſignatum ſeptem ſigillis, formã imprimentibus in cœlo, & in terra, & apud inferos. Et nemo fuit dignus aperire librum, niſi leo de tribu Iuda. Secundum quoſdã theologos ſunt XII articuli fidei, propter XII apoſtolos. Sed uerius eſt, quòd articuli ueri ſunt tãtum ſeptem, de quib. dictum eſt. Præmium uerò credentiũ eſt uita æterna: pœna uerò non credentium, perpetua Gehenna, iuxta illud, Hęc eſt fides catholica, quam niſi quis

quis, &c. Et qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, &c.

Quid ego audio? Sunt'ne duntaxat ſeptem articuli ueri Chriſtianæ fidei, & neceſſarij creditu? Vbi trinitas ſumma & adorãda? Vbi CHRISTI IESV diuinitas? Vbi Eccleſia ſancta Catholica? Vbi remiſſio peccatorũ? Vbi uita æterna? Quis deſcẽſũ Chriſti ad inferos, neceſſarium aut ſingularem articulum fidei catholicę poſuit? Symbolum apoſtolorum uel Romanum adijcit articulo de paſſione, cruce & morte Chriſti. Cur omittit Gloſſa nouos articulos de trãſſubſtãtiatione? O' præclaros doctores Eccleſię: ô dignos q̃dlibeti papiſtici expoſitores: lõgè aptiores qui Alcoranum Mahumedis, aut Extrauagantes Paparum decretales interpretẽtur & gloſſent pro arbitratu ſuo, quàm ut catecheſin Chriſtianam, & fidei catholicæ principia fundamentaq; ediſſerant.

Canoniſtarũ admonitio.

Sed omiſsis papiſticæ legis interpretibus, fidem catholicam, & orthodoxam religionem, quam leges principum Chriſtianiſs. ſeruari iubent, pergamus indagare: & hic quidem etymologiã ſymboli. Quæ uox tota Græca eſt, non ſemilatina, ſed mutuò accepta, ut aliæ innumeræ, à Græco ſermone. βάλλω autem, uel βαλλέω, ſignificat iacio, iacto, percutio, mitto ut ſagittam: unde βέλος, & βολὶς, iaculum, ſagitta. Quæ Germani quoq; uſurparunt, ballen, boltz. Et cum præpoſitione σὺν, id eſt cum, συμβάλλω, cõmitto, confligo, confero, conijcio, cõiecto, mutuo, euenio. Hinc σύμβολον, & περίβολον: & σύμβολος, ut peribolos: & συμβολὴ, ut παραβολὴ, collectio, collatio, prælium, conflictus, pignus, συνθήκη, pactum. Symbolum quoq; comeſſale eſt, uel ſymbola, cõuiuium inſtructum ex pecunijs uel rebus eſculentis & poculẽtis, quas ſingulæ conuiuæ conferunt, nec ullus uenit aſymbolos et exors. Quod Ariſtophanis interpres in Acharnita exponit: συμβολὴ ἐστὶ δεῖπνον τὸ ἐκ κοινοῦ ἐπιτελούμενον, ὅς ἔρανος ὅμηρός φησιν. Symbola etiam de cœna dicitur, quæ

Etymõ ſymboli.

inſtruitur ex communi: quam eranon Homerus uo-
cat. Ea uoce utūtur & comici Latini, Plautus & Teren
tius. Vnde fortaſsis iſti comeſſatores canoniſtę & decre
taliſtæ collegerunt bolos & morſellos ſuos. Cæterùm
quod ad ſignificandi uim adtinet, ſymbolum id erit, ex
quocunq; licet aliud colligere, an ſit, quid ſit, quale ſit.
Ideo nomen uel notatio rei dicitur Ariſtoteli ſymbolū,
& definitio, ſignum quoq;, & indicium, & uaticiniū at-
que oraculum, & anulus, & pignus, & teſſera in bello,
& quod conferebant ingredientes curiam. Hinc elemē
ta in myſterijs ſacris dicūtur ſymbola, ueluti panis & a-
qua in euchariſtico ſacro: quippe ſigna, indicia, teſtimo
niaq; diuina corporis & ſanguinis Chriſti pro noſtris
peccatis, & ad ſalutem noſtram traditorum. Et fidei con
feſsio ac teſtificatio ſymbolum dixerūt patres Eccleſiæ.

*Nomina æquipollentia ſymboli.*

Cæterùm definitiones & deſcriptiones fidei multis
nominibus appellari ſolent. Fides, ut fides Nicæna, &
decreta conciliorum: ut de Conſtantino & ſymbolo Ni
cæno hiſtoria Eccleſiaſtica dicit, quòd hanc fidem & cō
cilij decretum, tāquam à Deo profectum, ſit ueneratus.
Confeſsiones & profeſsiones, & ἐκθέσεις, expoſitiones fi
dei, ut Iuſtinus uocauit. Regulæ credendi, aut canones,
qua uoce Tertullianus utit. Et leges, ut Theodoſius l. 1.
dicit, Hanc legē ſequētes. Et ſacræ legis uel ſacroſanctę
legis antiſtites aliquoties dicuntur. Symbola fidei, &
ſymbola diuinæ gratiæ. Præſcriptiones quoq; fidei dicū
tur. Et doctrina, & formula fidei, ut in Zenōis Imperato
ris henotico. Et norma prædicatiōis, in Cypriani expoſ.

*Quid ſymbolum ſit fidei.*

Definit autem Eraſmus Roterodamus, theologus exi-
mius, perſpicuè & propriè ſymbolū, quòd ſit ſermo pau
cis uerbis complectens ſummam eorum quæ omnibus

*Articulus fidei quid.*

neceſſariò credenda ſunt ad ſalutem æternam. Et articu
lum fidei definit, irrefutabilem ac diuinitùs reuelatam
ueritatem, paucis uerbis comprehenſam, neceſſariò cre
dendam ijs qui ſtudent æternam ſalutem amplecti per
fidem

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-765435-p0068-8

fidem in Chriſtum Ieſum. Richardus de ſancto Victore, theologus non incelebris, definit breuius articulum fidei, eſſe ueritatem indiuiſibilem de Deo, quæ nos arctat ad credendum. Sed operæpreciũ eſt aliquod ſymbola huc adferre cum indicio excellentium uirorũ, quid de ijs ſentire conueniat.

SYMBOLVM APOSTOLORVM.

De hoc nihil habemus antiquius, aut certius, q̃ quod extat in expoſitione Cypriani, uel Ruffini Aquileiẽſis: & in epiſtola Clementis diſcipuli Petri ad Iacobum apoſtolum, & epiſcopum Hieroſolymitanum. Is enim ita ſcriptum reliquit de Petri apoſtoli doctrina: Pœnitemini, inquit, & ueram agite pœnitentiam. Omnes ergo homines, qui Chriſtiano cenſentur uocabulo, patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum, unum Deum & Dominum ueraciter credere & confiteri, eumq́ tota mente, & toto corde, & tota uirtute diligere, & proximos ſuos tanquã ſemetipſos, docibilesq́ eſſe uſq; ad perfectam doctrinã, ad hæc perficienda ſummopere oportet. Fides enim & dilectio totius bonitatis fundamentum eſt. Sine fide aũt placere Deo nemo poterit.

Chriſto itaq; reſurgente, & aſcendente in cœlũ, miſſo ſancto ſpiritu, collata apoſtolis ſcientia linguarũ, adhuc in uno poſiti, ſymbolum quod fidelis nunc tenet Eccleſia, unuſquiſq; quod ſenſit, dicendo, condiderunt, ut diſcedentes ab inuicem, hanc regulam per omnes gentes prædicarent. Summam ergo totius fidei catholicę recenſentes, ſic docuerunt. Symbolum enim Græcè, Latinè collatio dicitur. Et hoc prædicti ſancti apoſtoli inter ſe, per ſpiritum ſanctum ſalubriter, ut dictum eſt, cõdiderunt. Dicitur & indicium, quod per hoc qui rectè crediderit, indicatur. Ergo cunctis credentibus, quæ cõtinentur in præfato ſymbolo, ſalus animarũ, & uita perpetua bonis actibus præparatur. Et quod in primordio eiuſdem ſymboli præponitur, Credo in Deum patrem

*Clemens de apoſtolorum ſymbolo.*

*Symboli etymon.*

*Finis & uſus ſymboli.*

omnipotentem, præclarum fidei teſtimonium & fundamentum in prima fronte monſtratur: quia ſaluus eſſe poterit, qui rectè crediderit. Credere enim oportet accedẽtem ad Deum. Quoniam corde creditur ad iuſtitiam, & ore fit confeſsio ad ſalutem.

*Interpretes ſymboli apoſtolorũ.*

Hoc ſymbolum quod apoſtolorum & paruum & Romanum dicitur, expoſuit Ruffinus presbyter Aquileienſis. quanquam nonnulli Cypriano martyri adſcribunt: qui etiam dicit, hanc maiorum eſſe traditionem, quòd Apoſtoli accepto ſpiritu ſancto diſceſſuri ab inuicem, normam prædicationis communem & unanimitatis atq; fidei ſuæ indiciũ cõſtituerint, & hanc regulã credentibus dandam ſtatuerint: ut eſſet indiciũ, per quod agnoſceretur is qui Chriſtum uerè ſecundum apoſtolicas regulas prędicatet. utq; in bellis ciuilibus, ne qua doli ſubreptio fiat, duces militib. ſuis diſcreta ſymbola tradunt: ut ſi fortè quis occurrens, de quo dubitatur, interrogatus ſymbolum prodat, ſi ſit hoſtis an ſocius: ita non in ſcripto hæc, ſed corde uoluiſſe teneri, ut certum eſſet, ex Apoſtolorum traditione didiciſſe. Oſtendit etiam, Romæ & Aquileiæ redditum fuiſſe hoc ſymbolũ, quũ ſuſciperetur ſacri baptiſmi gratia. Quædam etiam addita in eccleſijs nonnullis, propter hæreticos: ut in primo articulo, Credo in Deum patrem inuiſibilẽ & impaſsibilem: propter Sabellianos.

*Auguſtini iudicium de ſymbolo apoſtolorũ.*

Auguſtinus epiſcopus ſymbolum interpretatus eſt in Enchiridio, & in lib. de Fide ac ſymbolo. Et in hoc libro ait, fidem catholicam in ſymbolo notam fidelibus, memoriæq; mandatam, quantum res paſſa eſt breuitate ſermonis. Et in fine: Hæc eſt fides, quæ paucis uerbis tenẽda in ſymbolo nouellis Chriſtianis datur. Quę pauca uerba fidelibus nota ſunt, ut credendo ſubiugentur Deo, ſubiugati rectè uiuant, rectè uiuẽdo cor mũdent, corde mundo quod credunt intelligant. Et lib. 8. Cõfeſſionum, capite 2. de Victorino rhetore, Chriſtiano facto:

cto: Vbi imbutus eſt primis inſtructionum ſacramētis, non multo pòſt etiam nomen dedit, ut per baptiſmum regeneraretur. Deniq; ut uentum eſt ad horam profitendæ fidei, quæ uerbis conceptis retentisq; memoriter de loco eminentiore in cōſpectu populi fidelis Romæ reddi ſolet ab iſs qui acceſſuri ſunt ad gratiam Dei. Offerebatur tamen conditio nonnullis, qui uerecūdia trepidaturi uidebantur, ut ſecretius presbyteris redderent. Hæc ille.

Cæterûm capita ſymboli, & eccleſiaſtica dogmata, quæ ipſi apoſtoli compoſuerunt, ſummam fidei catholicæ recenſentes, ita reddit Clemēs præſul Romanus, Petri diſcipulus & ſucceſſor: In qua & integritas credulitatis oſtenditur, & unius Dei omnipotentis, id eſt, ſanctæ trinitatis æqualitas declaratur: & myſterium incarnationis filij Dei, qui pro ſalute humani generis à patre de cœlo deſcendens, de uirgine naſci dignatus eſt: Quoq; ordine, uel quando mortem pertulerit, quomodo ſepultus, ſurrexerit: & in carne ipſa cœlos aſcenderit, ad dexteramq; Patris conſederit: & iudex uenturus ſit: ac qualiter remiſsionem peccatorum ſacro baptiſmate renatis contulerit: & reſurrectionem humani generis in eadem carne, in uitam æternam futuram. Articulus qui confitetur unam ſanctam catholicam Eccleſiam, perſtringi uideri poteſt in his uerbis, renatis ſacro baptiſmate. Illud autem ſymbolum apoſtolorum, uel Rom. quod in eccleſijs occidentalibus, quæ ritus ſequuntur eccleſiæ Romanæ, quotidie ſepties ſummiſſa uoce recitatur, paulo inferius ſuo loco diligenter apponam.

*Articuli fidei apoſtolorum.*

1. 2. 8 — 3 — 4 — 5. 6 — 7 — 10 — 11 — 12

Hoc autem loco annotandum cenſui, quod Iſidorus de ſymbolo fidei ſcriptum reliquit lib. 6. Etym. cap. 19. Symbolum per linguam Græcam ſignum uel cognitio interpretatur. Diſceſſuri enim apoſtoli ad euangelizandum in gentibus, hoc ſibi prædicationis ſignum uel indicium poſuerunt Continet enim confeſsionem trinita-

*De ſymbolo & precatione Dominica.*

tis, & unitatem Eccleſiæ, & omne Chriſtiani dogmatis ſacramentũ. Quod ſymbolũ fidei & ſpei noſtræ non ſcribitur in charta & atramento, ſed in tabulis cordis carnalibus. Et lib. 1. de Summo bono, cap. 23. Fidei ſymbolum & Dominica oratio pro tota lege paruulis Eccleſiæ ad cœlorum regna ſufficit capeſſenda. Omnis enim latitudo ſcripturarum in eadem oratione Dominica, & Symboli breuitate concluditur. Ita enim cenſuit Tertullianus, & Auguſtinus. Sexta quoq; ſynodus uniuerſalis canone ſeptimo, ut Latini codices habent, ita decreuit: Commonendi ſunt fideles omnes à minimo uſq; ad maximum, ut orationem Dominicam & Symbolũ dicant. Et dicendum eſt eis, quòd his duabus ſentẽtijs omne fidei Chriſtianæ fundamẽtum incumbit. Et niſi quis has duas ſententias & memoriter tenuerit, & ex toto corde crediderit, & in oratione ſępiſsimè frequentarit, catholicus eſſe non poterit.

SYMBOLVM NICAENVM.

Hanc fidem Chriſtianam, quam Petrus Apoſtolus Romanis tradidit, Iuſtinus martyr non modò Chriſtianæ & Moſaicæ doctrinæ peritiſsimus, uerùm etiam eximiè gnarus uniuerſæ philoſophiæ, copioſius expoſuit in libro cui titulum fecit, Expoſitio fidei de recta cõfeſſione, ſiue de ſancta & conſubſtantiali trinitate: quem Romæ ſcripſit & uulgauit non longo tempore admodum poſt epiſcopatum Clementis, quum ſupereſſent aliqui diſcipuli apoſtolorum. In eo libro demonſtrat ſcripturæ teſtimonijs & dialecticis argumẽtationibus, tres eſſe perſonas differẽtes, unam uerò eſſentiam diuinam patris Dei, & filij & ſpiritus ſancti: quomodoq; natura diuina unita ſit humanæ in Chriſto, ut redimeret homines à morte æterna Et contraria docentes refellit, aſſerens eam fidem ſolam hominibus ſalutem adferre.

*Fides, 170. anno poſt Chriſtum natum, Iuſtini martyris, edita Romæ.*

Paulo pòſt Irenæus epiſcopus Lugdunenſis, qui Polycarpum Ioannis apoſtoli diſcipulum, epiſcopũ Smyrnenſem,

*190. fides catholica Irenæi.*

nenſem, & Chriſti glorioſum martyrē uidit, ac audiuit, libro 1. aduerſus hæreſes, cap. 2. de fidei catholicæ regula ita ſcripſit: Eccleſia per uniuerſum orbē uſq; ad fines terræ ſeminata, & ab Apoſtolis & à diſcipulis eorum accepit eam fidem, quæ eſt in unum Deum. Et recitatis articulis fidei, cap. 3. Hanc prædicationem, inquit, & hanc fidem, quemadmodum prædiximus, cum acceperit Eccleſia, & quidem in uniuerſum mundum diſſeminata diligenter cuſtodit, quaſi unam domum inhabitans: & ſimiliter credit his, uidelicet quaſi unam animam habēs, & unum cor: & conſonanter hæc prædicat, & docet, & tradit, quaſi unū poſsidens os. Et neq; hę quę in Germania ſunt fundatę eccleſię aliter credunt, aut aliter tradūt, neq; hę quę in Hiberis ſunt, neq; hæ quæ in Celtis, neq; hæ quę in Oriēte, neq; hę quę in Aegypto, neq; hę quę in Lybia, neq; hæ quæ in medio mundi ſunt cōſtitutæ.

Eodem quoq; tempore floruit Septimius Tertullianus, qui in libro de Virginibus uelandis ita ſcribit: Regula fidei una omnino eſt, ſola immobilis & irreformabilis, credendi ſcilicet in unicum Deum, omnipotētem mundi conditorem. Et in libro de Pręſcriptionib. aduerſus hæreticos, totidē enumeratis fidei dogmatibus, quot habet ſymbolum apoſtolicum, ita concludit: Hęc regula à Chriſto inſtituta, nullas habet apud nos quæſtiones, niſi quas hæreſes inferunt, & quæ hæreticos faciunt. Fides in regula poſita eſt: habet legem, & ſalutē de obſeruatione legis. *200. Fides catholica Tertulliani.*

Proinde patres Nicææ congregati, nihil nō antea receptum & approbatum in Eccleſia decreuerunt credendum in ſymbolo, cuius toties mentionem faciūt leges: ſed apoſtolicæ & propheticæ doctrinæ ſummam uulgo Chriſtiano ſcitè admodum exhibuerunt, ſecuti (niſi totus fallor) beati Iuſtini librum, ex quo fecerunt epitomen huiuſmodi. *326. Fides Nicæna.*

Credimus in unum Deum patrem omnipotentem, *Articulus 1.*

omnium

omnium uiſibilium & inuiſibilium factorem.

2 Et in unum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, filium Dei, de patre natum, unigenitum: id eſt, de ſubſtantia patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum uerũ ex Deo uero, genitum, non factũ, ὁμοούσιον patri: hoc eſt, eiuſdem cum patre ſubſtantiæ. Per quem omnia facta ſunt, quæ in cœlis, & quæ in terra.

3 Qui propter nos homines deſcendit, & incarnatus eſt, homo factus.

4 Paſſus eſt.

5 Et reſurrexit tertia die.

6 Et aſcendit in cœlos.

7 Inde uenturus iudicare uiuos & mortuos.

8 Et in ſpiritum ſanctum.

Eos autem qui dicunt, Erat aliquando, quando non erat: & antequam naſceretur, non erat: & quia ex nullis ſubſtantibus factus eſt, aut ex alia ſubſtantia, dicunt eſſe creatum, τρεπτόν, aut conuertibilem uel mutabilem filiũ Dei, anathematizat ſancta & apoſtolica Eccleſia.

*Hilarij epiſcopi Pictauienſis.*

Eandem fidem illo tempore aſſeruit ſanctus Hilarius epiſcopus Pictauiẽſis, & aliquot ſynodos ita profeſſas eſſe fidem oſtendit, maximè Antiochenam, & defectionis atque proditionis accuſat eos qui diuerſum tradunt.

## SYMBOLVM ATHANASII.

Beatus Athanaſius Alexandrinus patriarcha, ſynodo Nicænæ interfuit, eius' que poſtea conſtantiſſimus uindex & aſſertor fuit, quum filius Conſtantini Magni, qui concilium Nicææ congregauerat, ſeductus ab Arianis hæreticis, omnibus imperij opibus Arianum dogma impium defenderet. Quamobrem ex Alexandrino epiſcopatu in exilium pulſus, apud Treuiros ſymbolum Nicænũ plenius expoſuit, cuius etiam fides quotidiè in prima hora canonica per eccleſias occidẽtales recitatur, quod ſtrictim huc eſſe trãſcribendũ cenſui.

Sic

*Articuli ſymboli Athanaſij.*

Sic autem præfatur: Quicunq; uult ſaluus eſſe, ante omnia opus eſt ut teneat catholicam fidem. quam niſi quis integram inuiolatamq; ſeruauerit, abſq; dubio inæternum peribit. Deinde membra & capita fidei hoc modo exponit.

*Trinitas.*

Fides autem catholica hęc eſt, ut unum Deū in trinitate, & trinitatem in unitate ueneremur: neq; cōfundentes perſonas, neq; ſubſtantiam ſeparantes. Alia eſt enim perſona patris, alia filij, alia ſpiritus ſancti. Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus. Filius à patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus. Spiritus ſanctus à patre & filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens. Et ſicut ſigillatim unamquanq; perſonam Deum & Dominum confiteri Chriſtiana ueritate compellimur: ita tres deos aut dominos dicere catholica religione prohibemur. Sed pater, & filius, & ſpiritus, unus Deus, & Dominus, æqualis, coęternus, increatus, immenſus, omnipotens. Et in hac trinitate nihil prius aut poſterius, nihil maius aut minus eſt: ſed una eſt diuinitas, æqualis gloria, coæterna maieſtas.

*Chriſtus filius Dei incarnatus.*

Sed neceſſarium eſt ad ſalutē æternā, ut incarnationē quoq; Domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter quis credat. Eſt ergo fides recta, ut credamus, et cōfiteamur, quia Dominus noſter IESVS CHRISTVS, Dei filius, Deus eſt ex ſubſtātia patris ante ſecula genitus, & homo ex ſubſtantia matris in ſeculo natus.

*Vnio perſonalis uel hypoſtatica duarum naturarum in una perſona Chriſti mediatoris Dei & hominum.*

Perfectus Deus, & perfectus homo, unus Chriſtus, nō cōuerſione diuinitatis in carnē, ſed adſumptione humanitatis in Deum. Non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ. Nam ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus, qui paſſus eſt ꝑ ſalute noſtra.

*Diſpenſatio Chriſti.*

Deſcēdit ad inferos. Reſurrexit à mortuis. Aſcēdit ad cœlos: ſedet ad dexterā Dei patris omnipotētis. Inde uēturus eſt iudicare uiuos & mortuos. Ad cuius aduentum omnes homines reſurgere habent, cum corporibus ſuis. Et reddituri ſunt de factis proprijs rationē, Et qui bona egerunt, ibunt in

uitam æternam : qui uerò mala, in ignem æternum. Concludit ergo: Hęc eſt fides catholica, quam niſi quiſque fideliter firmiterq́ crediderit, ſaluus eſſe nõ poterit.

SYMBOLVM CONSTANTINOpolitanum.

*Fides catholica anno Christi 383.* Vniuerſalis ſynodus CL. patrũ, celebrata iuſſu Theodoſij magni, cuius leges duas libro primo recitauimus, decreuit minimè ſpernendã fidem patrum CCCXVIII. qui Nicææ conuenerant, ſed firmam ratamq́ eſſe oportere. Edidit tamen & ipſa definitionem fidei, additis nõnullis uerbis, ob hæreſes nouas, ut Macedonij & Eunomij. Quod ſymbolum reddere non pigebit: ſiquidẽ in liturgia eccleſiæ occidentales id canere aſſolent. Verba tamen nonnulla diſcrepant, ueluti quòd pluralia uerba pro ſingularib. ponunt, Credimus pro credo, & ſimilia.

*Artic.* 1. Credo in unum Deum patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, uiſibilium omnium & inuiſibilium.

2 Et in unum Dominum Ieſum Chriſtum, filium Dei unigenitum, & ex patre natũ ante omnia ſecula: Deum de (ex) Deo, lumen de lumine, Deũ uerũ de Deo uero, genitum, non factum, conſubſtantialem patri, per quẽ omnia facta ſunt.

3 Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutẽ deſcẽdit de cœlis: & incarnatus eſt de ſpiritu ſancto, ex Maria uirgine, & homo factus eſt.

4 Crucifixus etiam pro nobis ſub Põtio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt.

5 Et reſurrexit tertia die, ſecundum ſcripturas.

6 Et aſcendit in cœlum: ſedet ad dexteram patris.

7 Et iterum uenturus eſt cũ gloria iudicare uiuos & mortuos. Cuius regni non erit finis.

8 (Credimus) & in ſpiritũ ſanctum Dominum, & uiuificantem: qui ex patre filioq́ procedit: qui cum patre & filio ſimul adoratur, & conglorificatur. Qui locutus eſt per prophetas.

In unam ſanctam catholicã & apoſtolicam Eccleſiam. 9
Confiteor unum baptiſma, in remiſſionem peccatorũ. 10
Et expecto reſurrectionem mortuorum. 11
Et uitam uenturi ſeculi: Amen. 12

Eodem tempore Damaſus epiſcopus Romæ ſymbolum ſcripſit, quod tomo ſecundo librorum diui Hieronymi legitur. Qui adeò non diſcrepare uoluit à ſynodo Nicæna, ut anathema pronunciet in omnes qui contrarium ſentiunt, aut docent: ut 9. libro hiſtoriæ Tripart. 15. cap. legimus. Ideo ſuperuacuum duxi, eius ſymbolum recitare hic.

*Symbolum Damaſi.*

SYMBOLVM EPHESINVM.

Ducenti patres in Epheſina generali ſynodo congregati, recitata expoſitione ἐκθέσει fidei, nec non aliorum quorundam confeſsionibus decreuerunt ἑτέραν πίστιν μηδενὶ ἐξεῖναι προφέρειν, ἤγουν συγγράφειν, ἢ συντιθέναι παρὰ τὴν ὁρισθεῖσαν παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων, τῶν ἐν Νικαίᾳ συναχθέντων πόλει, σὺν ἁγίῳ πνεύματι. hoc eſt, Nemini licere, uel proferre, uel conſcribere, uel cõponere fidem aliam, præter eam quæ decreta eſt à ſanctis patribus, congregatis Nicææ cum ſancto ſpiritu: quod canone ſeptimo legimus.

*Fides catholicæ anno 433.*

Non tamen ſuperuacuum duxi recitare hic, quid Cyrillus Alexandriæ patriarcha, qui ſynodo Epheſinæ præſedit, & ſymbolum Nicænum commentario multa pietate & doctrina referto èxpoſuit, de hoc ſymbolo pronunciarit.

*Cyrillus de fide Nicæna.*

Eorum ueſtigia qui per ſpiritum ſanctum nobis tradiderunt rectam fidem, quiq; ab initio ſpectatores & miniſtri fuere uerbi, ſequi ſtuduerunt celeberrimi patres noſtri: qui uenerabile & uniuerſale fidei decreuerunt ſymbolum, in Nicæa olim congregati. Quib. ſanè ipſe Chriſtus aſſedit, qui dixit: Vbi fuerint duo uel tres in nomine meo congregati, illic ſum in medio eorũ. Nam quod preſederit inuiſibiliter ſanctę & magnæ ſynodo illi, quo modo ambigeretur? Baſis etenim quædam & fundamẽ

*Apoſtolos ſecuti patres Nicææ congregati, ſymbolum ediderũt.*

*Fidei baſis.*

tum immotum & inconcuſſum per uniuerſum orbem iactum eſt ſinceræ irreprehenſibilíſq; fidei cõfeſsio. Ea propter expoſitam ab illis & determinatam fidem, ſeruarunt inculpati etiam hi qui ſecuti ſunt ſancti patres, populorumq; paſtores, & eccleſiarum luminaria, ac opportuni ſacrorum doctores. Nihil autem omnino præter-

*Abſoluta fides Nicæna.*

miſſum uel contemptum ex his, quę utilia & neceſſaria uiderit quis in patrum confeſsionibus, hoc eſt, expoſitionibus quas de recta & inadulterata fide fecerunt, ad deprehendendum & ſubuertendum uniuerſas hæreſes, ac impias blaſphemias: & ad ſolidandum ac confirmandũ eos qui in fide rectè incedunt, & quibus fulgidus illuxit lucifer, dieſq;, ut ſcripturæ dicunt, infulſit, ſanctiq; ſpiritus gratia ueritatis lumen immiſit.

## CHALCEDONENSE SYMBOLVM.

*Fides catholica 454.*

DCXXXVI. patres de Nicæno ſymbolo in cõcilio Chalcedonenſi hoc modo pronunciarunt: Sufficeret ad pleniſsimam pietatis agnitionem & confirmationẽ cautiſsimum & ſalutare diuinæ gratiæ ſymbolum. Hancq; fidem rectam CCCXVIII. patrum renouarunt, & omnibus prædicarunt.

## ALIORVM CONCILIORVM SYMbola & definitiones.

*556. Fides cath. 681. & 690. 730 790*

Quemadmodum uerò Nicænam ſynodum tres inſequentes ſynodi ſecutæ ſunt, profitendo catholicam fidẽ: ita fecerunt etiam poſteriora concilia generalia, quintũ Conſtantinopolitanum ſub Iuſtiniano, ſextum Conſtantinopolitanum ſub Cõſtantino quarto & Iuſtiniano ſecundo, ſeptimũ Conſtantinopolitanum ſub Leone tertio, octauum Nicænũ ſub Irene & filio eius Conſtantino. Idem fecerũt concilia nationalia & prouincialia, ut

*600. Gregorij fides.*

Romanum, XXIIII epiſcoporum, quod Gregorius celebrauit imperante Mauricio: qui clariſsimè teſtatur, ſe amplecti quatuor concilia uniuerſalia, tanquam euãgelia quatuor: eiuſq; ſymbolum, quod in principio Regeſti epi-

ſti epiſtolarum legitur, nihil diſcrepat à ſymbolo Nicæno, aut apoſtolorum. Et Arelatenſis ſynodus, quam Carolus magnus coegit anno ſui regni XXXXVI. eandē fidem profitens, ita loquitur: Quia initiandis ad beatam uitam hominibus hęc prima ſemper eſt uia ſalutis, prævia quoq; noſtris & inſtitutis pariter & præceptis, quæ per ueram credulitatem in omni terrarum orbe diffuſa expanditur, noſtrę collationis eloquijs prędicetur, prędicata ueraciter teneatur, retenta in penetralibus noſtri pectoris illibata ſeruetur. Secundum diuinas enim ſcripturas, & doctrinam quam à ſanctis patrib. accepimus, patrem & filium, & ſpiritum ſanctum, unius deitatis atque ſubſtantiæ confitemur, in perſonarum diuerſitate trinitatem credentes, in diuinitate unitatem prædicantes: nec perſonas confundimus, nec ſubſtātiam ſeparamus. Et recitatis omnibus articulis: Hæc, inquiūt, eſt catholicæ Eccleſiæ fides, hanc confeſsionem ſeruamus atq; tenemus: quam quiſquis firmiſsimè cuſtodierit, perpetuam ſalutem habebit.

*Fides cōcilij Arelatenſis 813.*

Per hunc maximum Carolum, ex mandato Adriani Papæ, & concilij Romani CLIII epiſcoporum atq; abbatum, officium Gregorianum, in quo ſymbola cōciliorum primorum continentur, eccleſijs occidentalib. iniunctum, uel etiam repugnantibus obtruſum eſt. Nec poſtea concilium aliquod uel generale, ut Conſtantienſe & Baſilienſe & Ferrarienſe ſub Sigiſmundo, & Tridētinum ſub Carolo quinto: uel prouinciale, ut Vormacienſe, tētauit articulos aliquos ſymbolo adimere, aut addere, aut immutare. Vnum concilium Rom. & Lateranum, Innocentio III authore coactum, præſumptione inuſitata, inter fidei capita inſeruit, panis & uini tranſmutationem in corpus & ſanguinem Chriſti, per uerba cōſecrationis, miraculoſa & diuina operatione.

*Officium Gregorianum eccleſijs obtruſum.*

*Fides 1415. anno. 1437. et 1440.*

*Concilium Lateranum ſolum auſum eſt fidei articulos nouos condere.*

## FIDES ORTHODOXA ANTE IE-ſu Meſsiæ incarnationem.

Quæ nam ergo ſit fides catholica per Chriſtũ & Apoſtolos tradita, & quæ ad nos uſq; peruenit ſucceſsione annorum 1525. ex iam dictis liquidè omnibus patet. Eandem autem, & non contrariam, aut diuerſam fidem prophetarum & patriarcharũ fuiſſe, docet Paulus in epiſtolis ſuis, maximè ad Ebræos, Epheſios, Romanos & Galatas. Idem agit Petrus in utraq; catholica epiſtola. Dominus etiam Chriſtus in Apocalypſi, diſtinctis ætatibus demonſtrat unam ſanctam catholicã Eccleſiam, & unam fidem rectam, ac ſaluantem in Deum patrem, & filium, & ſanctum ſpiritum. Quod theologi etiam copioſè docuerunt, Epiphanius, Euſebius, Philaſtrius, Auguſtinus, & alij. Et in libris Moſis atq; prophetarũ, id multo eſt teſtatiſsimum: ex quibus Dominus Chriſtus & apoſtoli ſuam doctrinam adſtruxerunt. Nam concio diuinæ maieſtatis in monte Sinai, fidei catholicæ ſumma eſt: ut patet ex interpretatione Chriſti Matth. 5.6.7. cap. & Eſaiæ cap. 49. & reliquis uſq; in finem, ubi catecheſis perfectiſsima texitur.

*Fidem catholicam, id eſt Chriſtianiſmum uerũ & ſempiternum requirunt leges.*

Itaq; catholica fides, quam leges ſacratiſs. Imperatorũ Rom. coli uolunt ab omnibus imperij ciuibus, Chriſtianiſmus eſt uerus & ſempiternus: in quo ſolo conſequi poſſunt ueram beatitudinem uel ſinguli homines, uel totæ familiæ ac domus, ciuitates, prouincię, regna & imperia. Quod de Nicæno ſymbolo copioſè profeſſus eſt Imperator Zeno, qui paulo ante Iuſtinianum imperauit.

*Diuerſa ratio et modus inæqualis definiendi fidem.*

Definiri autem ſolet catholica fides aliàs copioſius, ut fecit beatus Athanaſius, & alij, qui membra & articulos omnes enumerarunt: aliàs breuius, ut fecerunt Imperatores in ſuis legibus. Et multo breuius rẽ abſoluit Paulus ad Rom. ſcribens cap. 10. quum ait: Hoc eſt uerbum fidei, quod prædicamus: quia ſi cõfitearis in ore tuo, & in corde tuo Dominũ Ieſum, & in corde tuo credideris,

quòd

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-765435-p0080-5

quòd Deus illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris. Idemque apoſtolus 1. epiſtola ad Corinthios ait ſe nihil ſcire, quàm Chriſtum crucifixum. Et Actorum 23. capite, in iudicio publico & capitali ſe purgans à crimine impietatis, probat ſe non ſpargere in uulgus religionem aliquam nouam & commentitiam, ſed adferre antiquam, ueram, ſempiternam: quia doceat reſurrectionem mortuorum. Eademq; præſcriptione beatus Iob Eſſitarum princeps, apud amicos ſuos, accuſantes illũ impietatis, utitur cap. 19. Eamq; uocat radicẽ uerbi, hoc eſt fundamentum ſalutis, & ſummam fidei catholicæ.

ORTHODOXI.

Orthodoxus eſt, rectè credẽs, & ut credit, uiuẽs. Quo nomine uocari non poteſt, qui aliter uiuit, q̃ credit, interprete Iſidoro, cap. ultimo lib. 7. Ety. Aliquot leges ciuiles Ro. interpretant̃ orthodoxos, rectè ſentiẽtes. Origo uerbi eſt δοκεῖν: ut quum dicunt Græci, δοκεῖ μοι, uidetur mihi, cenſeo, opinor, exiſtimo: ut Germani dicunt, dunken/oder danken. Hinc δόγμα, dogma, decretum: & δόξα, opinio, exiſtimatio, aſſenſus: & compoſita nomina orthodoxus, cacodoxus, homodoxus, heterodoxus, paradoxon, adoxon, endoxon, amphidoxon, & alia. Eſt autem doxa in iudicio. Quum enim in cognoſcendis rebus, & diſcernendo uero ac falſo, iudicium mentis expẽdit oblatas rationes, uel decernit aliquid de propoſito, uel mens pendet ac ambigit, quum nihil ſatis probabile cernit, ut neutram in partem inclinet, ac neq; uerum neq; falſum eſſe ſtatuat: ea uocatur dubitatio & ambiguitas. Quum leuiter mouetur, eſt ſuſpicio: ut qui aliquid procul poſitum, aut per nebulã uident: uel reſpuit penitus, & auerſatur tanquam falſum: eam uocamus diſſenſionem. Vel decernit uerum eſſe, & amplectitur eam ſentẽtiam, ut ſibi conuenientem: & uocatur δόξα, opinio, exiſtimatio, aſſenſus & aſſenſio. Vnde Cicero fidem eſſe dicit, firmam opinionem & aſſenſum. Hinc philoſophorũ

dogmata

dogmata paradoxa dicuntur, abſurda, incredibilia, quæ à communi hominum iudicio & ſenſu abhorrent. Et homodoxi, qui idem ſentiunt: ἑτερόδοξοι, qui ſententijs diſcrepant, & diuerſa opinantur.

*Orthodoxia quid, & orthodoxus.*

Clemens Alexandrinus definit fidẽ ὀρθὴν δόξαν, rectã exiſtimationẽ. Et Anaſtaſius orthodoxiã dicit opinionẽ uerã de ijs quæ ſunt, cuiuſmodi ſunt: uel opinionem de Deo ac reb. creatis minimè falſam. Hominẽ uerò orthodoxum dicit Chriſtianũ, uerã Chriſti & rationalem domum, quæ conſtat ex pijs dogmatibus, & bonis operibus. Alludit autem ad ſacræ ſcripturæ dictum: Vos eſtis templum Dei uiuũ. Hinc leges dicunt orthodoxam religionem, & orthodoxã Eccleſiam, & orthodoxos epiſcopos, & orthodoxos Chriſtianos, id eſt, rectè ſentientes, recteq́ credentes: quibus prima lex opponit dementes ueſanosq́ hæreticos.

CATHOLICI.

Catholicus, uniuerſalis ſiue generalis, interpretatur, ut ait Iſidorus cap. 14. lib. 7. Etym. Porrò quia catholicus opponitur hæretico, idq́ uerbum multas in Eccleſia peperit contentiones, eſt eius ſignificatio altius inueſtiganda.

*Nominis cathol. ratio.*

Ea uox non ponitur in ſacris libris, quãtum memini: ſed aliæ, quæ idem pollent, quę per totum & uniuerſum enunciantur. Componitur autem ex ὅλος totus, integer, perfectus: & κατὰ ſecundùm, iuxta, per, in. Hinc καθολικὸς uniuerſalis, generalis. Et aduerbiũ καθόλου, uniuerſaliter, in ſumma: ſicut καθ' ἕνα, ſingulatim. Cui opponitur ἐν μέρει, in parte: uel ἐκ μέρους, ex parte, partim, particulariter. Quod uerbũ & Auguſtinus interpretatus eſt, uelut 3. libro aduerſus Gaudentium epiſcopum Donatiſtarũ: Si huius martyris Cypriani teſtimonio ueſtra eccleſia catholica eſt, oſtendite illam per orbem totum radios ſuos porrigere: oſtendite illam per uniuerſam terram ramos ſuos copia ubertatis extendere. Hinc enim Græco uocabulo catholica nominatur. Quod enim Græcè ὅλον dicitur,



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-765435-p0082-6

tur, Latinè totum uel uniuerſum interpretatur. Hæc Auguſtinus.

Proinde ut partes & totum, uel ſpecies & genus uariè accipiuntur in ſubſtantijs, qualitate, quantitate, actione, loco, tempore, & alijs: ita catholicus etiam uariã & multiplicem uim ſignificãdi habet. Eſt enim catholicũ, generale & uniuerſale, quod partes uniuerſas uel ſpecies complectitur. Vt in artib. catholica præcepta dicũtur, quæ ab omnibus, ubiq;, ſemper & æqualiter obſeruari debent. *Quid catholicum.*

Et fides catholica, quæ non eſt propria & peculiaris unius ſectæ, aut ſingularis, ſed una communis omnium piorum & ſanctorum, ubiq; locorum, & omnibus ætatibus, ſuisq; numeris abſoluta eſt. Quomodo Boethius in libro de Trinitate explicat, inquiens: Chriſtianæ religionis reuerentiam plures uſurpant. Sed ea fides pollet maximè ac ſolitariè, quæ tum propter uniuerſalium præcepta regularũ, quibus eiuſdem religionis intelligitur authoritas, tum propterea quòd eius cultus per omnes penè mundi terminos emanauit, catholica uel uniuerſalis uocatur. *Fides catholica.*

Et Chriſtus à theologis dicitur templũ catholicum, altare catholicum, pontifex catholicus. Vnde Cyprianus martyr 3. tractatu aduerſus Nouatum ſchiſmaticum, dicit unum epiſcopatum & unam diœceſim Chriſti eſſe in toto mũdo, & ſub ipſo epiſcopos omnes æquali ac pari poteſtate: neq; Petrum habuiſſe plus poteſtatis, quàm cęteros apoſtolos. Quod Apoſtolus agnoſcit in epiſtola ſecunda, uocans cæteros eccleſiarum præſides compreſbyteros. Quamobrem Gregorius magnus preſul Rom. aliquoties ſcribit ad Mauritium Imperatorem, ad Ioannem Cõſtantinopolitanum, ad Eulogium, & alios, prophanum eſſe titulũ, ſi epiſcopus uelit catholicus, uniuerſalis, & œcumenicus, id eſt totius orbis habitati epiſcopus dici: quod ſoli Chriſto uendicat propriè ac legitimè. Alia uerò ratione catholici magiſtratus dicũtur, qui ali- *Catholicus pontifex, &c.*

*Catholici magiſtratus, & catholiciani.* quam prouinciam totam gubernant. Vt præfectus oriẽtis prætorio catholicus dictus eſt, qui ſedem & prætoriũ habuit Antiochiæ. Qui titul. poſtea ceſsit Antiocheno patriarchę, cuius eccleſiaſt. iuriſdictio patuit per Aſiam, Armeniam, Syriam, Arabiam. Quomodo archiepiſcopus Cõſtantinopolitanus dicitur uniuerſalis, ſiue catholicus patriarcha, Conſtit. nouell. 57. & alibi.

*Catholici Chriſtiani.* Alia ratione catholici Chriſtiani & epiſcopi dicũtur, qui colunt fidem catholicam, & orthodoxam religionẽ. *Definitiones in his legibus.* Quos prima lex definit his uerbis: Hanc legem ſequẽtes Chriſtianorum catholicorum nomẽ iubemus amplecti. Et 2. lex: Is religionis catholicę uerus cultor accipiendus eſt: & Nicænæ fidei adſertor, qui confitetur omnipotentem Deum. & quæ ſequuntur. Quod perinde dicitur, atque ſi definiatur catholicus Chriſtianus, qui tenet & colit fidem catholicã. Vt iuſtus definitur, qui colit iuſtitiã: grammaticus, qui nouit artem grammaticam, aut docet ac profitetur illam: beàtus, qui poſsidet beatitudinem. Quod genus definiendi πρός τι, ad aliquid uideri poſſet: quia denominans & denominatum, & ſubiectum atq; inhærens mutuum ſeſe reſpiciunt. Vel definitio ποιότητος qualitatis, uel potius eſsẽtialis, quia ex propria ui & differentia res demonſtratur. ut quum dicimus: [illegible]erus propheta eſt, qui ueram docet prophetiam: homo, in [illegible]uo eſt humanitas: dij ethnicorum dij non ſunt, quibus non ineſt diuinitas. *Sophiſtica definitio Lege 4.* Porrò quarta & ſuppoſititia lex, quum dicit unitatem fidei & eccleſiarũ eſſe, ad Papam Romanum callidè ſuggerit ſophiſticam definitionem catholici & orthodoxi Chriſtiani, ut ſit particeps fidei catholicæ, & membrum eccleſiæ Chriſti, qui unam & eandem fidẽ habet cum Papa & eccleſia Romana. Quam illorũ eſſe in hac lege ſentẽtiam, euidẽtius cernitur in hæreſeos definitione. De quo ſuo dicetur loco.

## ECCLESIA CATHOLICA.

Porrò quia lex ſecunda iubet eccleſias catholicas

reddi epiſcopis orthodoxis, & plurimus eſt ſermo tum in iure ciuili, tum in iure pontificio, & in toto commercio fidei de eccleſia, eiusque uerbi ambiguitas non paucos nec leues errores inuexit, hodieq; retinet, eſt uis eius etiam hic explicanda. Nomen ἐκκλησία, eccleſia Græcum, mutuati ſunt etiam Latini, Armenij, & aliarũ linguarum populi Chriſtiani: Græci uerò ab Ebræis acceperunt. Componitur enim ex præpoſitione ἐκ uel ἐξ, è, ex, & uerbo καλέω, uoco: ut ἐκκλησία dicatur euocatio. Id Ebræi dicunt גירה kahal, cõuocare, euocare, & cogere cœtum. ut Hierem. 26, ubi legimus, Et conuocatus eſt omnis populus: Ebraicè ſcriptum eſt, Vaiikkael, quod Græcè redditum eſt, ἐξεκκλησιάσθη, in eccleſiam uel concilium uocatus eſt. Et liber Solomonis inſcribitur kohælæth, ἐκκλησιαστὴς, concionator. Calare pro cõuocare & colligere cœtum, Romani quoq; dixerunt: ut comitia calata, & curiam calabram. Ebræi dicunt etiam קהל edah, cœtum, qui ad pręfixum locum & tempus, ob certas res, maximè cõmunes & publicas, agẽdas conuenit. Quod LXX. interpretes modò συναγωγὴν uerterunt, modò ἐκκλησίαν, ut Exodi cap. 12. & Deut. 23. *Nomen eccleſiæ quid ſonet.*

Heſychius interpretatur eccleſiam, σύνοδον, ſynodũ, cœtum: & συναγωγὴν, congregationem: & πανήγυριν, panegyrim, ac uniuerſalem congregationem. ut σύγκλησις, conuocatio, concio & cõcilium dicitur. Cæterùm quid ſit ἔκκλητος, & ἐκκλησιαστήριον, & alia quædam, non eſt huius loci explicare. Athenis quidem, & in alijs locis Græciæ dicebatur ἐκκλησία, populi congregatio ad conſultandum de rebus communibus, uel ut ſua cõſeruaret, uel ut aliorum res ſibi uendicaret. Baſilicę quoq; in quibus cõſultarũt, & fecerũt decreta, κυρίαι, & ἐκκλησίαι dictæ ſunt. Quinetiam militarem concionem Polybius libro 3. uocat ἐκκλησίαν. *Quid eccleſia.*

Ad hunc modum & in Chriſtiana republica uerbi huius ſignificatio multiplex eſt. Significat enim baſilicã, *Eccleſiarum diſtinctio.*

in qua congregatur eccleſia, tropo metonymiæ, qui continentem locũ pro eccleſia, quę continet, ponit: ut Auguſtinus annotauit etiam in epiſtola ad Optatum, & lib. 3. in Leuit. Quo ſenſu accipit illud 1. Corint. 11. An Eccleſiã Dei contemnitis? Et ita frequentiſsimè accipitur in iure pontificio, ut de cõſecratione eccleſiarum, & alibi: & in iure ciuili, ut titul. 12. lib. 1. Cod. de ijs qui ad eccleſias confugiunt: & in multis locis. Vocanturq; uenerandę eccleſiæ, uenerabiles eccleſiæ, ſacroſanctæ eccleſiæ, & catholicæ eccleſiæ, ut titul. 3. Cod. l. 10.

*Catholica eccleſia.*

Quumq; hominum cœtus ſacros notat, primò ſignificat omnium ſanctorum angelorum & hominum ſocietatem atq; communionem cum Deo patre, cuius caput Chriſtus eſt: partes maximæ, eccleſia triumphans in cœlis, & militans in terris contra ſatanam & mundum: & dormiens Eccleſia, partim uita functos, partim naſcituros uſque ad mundi finem complectens. Et hanc fidei articulus deſignat, dicens: Credo unam ſanctam catholicam & apoſtolicam Eccleſiam, ſanctorum cõmunionem.

*Eccleſiæ particulares.*

Secundò notat partem eccleſię, homines uidelicet uniuerſos credentes in Chriſtum: ut Mat. 16. Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Tertiò, unius prouinciæ aut ciuitatis homines pios & ſanctos, ſimulq; adiunctos illis fictos Chriſtianos & hypocritas: ut Apocalypſis enumerat ſeptem eccleſias Aſiæ. & 1. Corinth. 16. Salutant uos omnes eccleſiæ Aſiæ. Ita Matth. 18. de cenſura & iudicio eccleſiaſtico: Si ne illos quidem audierit, dic Eccleſiæ. Ita eccleſia Romana, & eccleſia Conſtantinopolitana & Alexandrina catholicæ dicuntur. Quartò ſignificat cœtum in prȩſentia congregatũ, ut 1. Corinth. 14. Mulieres in eccleſijs taceant. Quintò fideles in una domo, ut Philemonis epiſcopi Coloſſenſis. Poſtremò Eccleſia eſt etiam in tribus, aut in duob. aut in uno, ut Tertullianus ſcribit de pœnitentia. quo ſenſu accipitur Seruatoris noſtri dictũ: Vbi duo uel tres cõ-

uenerint

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-765435-p0086-8

uenerint in nomine meo, ero in medio illorum. Et ſingu li pij ob Deũ in ipſis habitantem & agentem, ſubinde in ſacris libris dicuntur templa Dei.

*Eccleſiæ hæreticæ et catholicæ.*

Cæterùm ius ciuile ſeparat conuenticula & paraſynaxes hæreticorum, ab eccleſijs ſanctis orthodoxorum Chriſtianorum, ut tit. 5. Cod. lib. 1. Quomodo & Auguſtinus conciliabula hæreticorum diſiungit in libro de Fide & ſymbolo: Credimus, inquit, & ſanctam Eccleſiam utiq; catholicam. Nam & hæretici & ſchiſmatici congregationes ſuas uocant eccleſias. Eccleſia catholica, id eſt, uniuerſalis conuocatio dicitur: quia non, ſicut hæreticorum conuenticula, in aliquibus regionum partibus coartatur, ſed per totum terrarũ orbem dilatata diffunditur, ait Iſidorus lib. 8. cap. 1. De hac Cyprianus meminit, ſcribens ad Nouatum ſchiſmaticum, & Auguſtinus libro 3. aduerſus Gaudentium Donatiſtã uerbis Cypriani martyris de ſimplicitate prælatorum. Eo ſenſu accipit Eccleſiam catholicam ius ciuile multis in locis, ut lege 5. tit. 5. Cod. 1. lib. de hæret. & conſtit. Nouel. 9. In iureiurando, quod cum ſanctiſsima Dei catholica & apoſtolica Eccleſia communionem habeo. Et conſtitut. 109. In qua omnes ſanctiſs. totius habitati orbis patriarchæ tam Romæ quàm huius regiæ urbis, &c. & omnes ſub ijs conſtituti religioſiſs. epiſcopi uno ore apoſtolicam fidem & traditionem prædicant. In ea continentur omnes per loca ſingula Eccleſiæ catholicæ, in quibus fides orthodoxa & catholica docetur & obſeruatur. ut lege 2. De ſumma trinitate, cunctis epiſcopis orthodoxis, qui Nicænam fidem tenent, catholicæ eccleſiæ toto orbe reddantur. Et conſtit. 10. Vt eccleſia Rom. centum annorum præſcriptione gaudeat, habeat hanc legem catholicis totius occidentis eccleſijs profuturã, & in orientales partes propagandã. Hæ uocant̃ & orthodoxę eccleſię, & ſacroſanctę eccleſiæ religionis orthodoxæ. Quo iure igitur ſuppoſititia cõſtitutio quarta omnes eccleſias ſubijcit Romano

*Sophiſma legis quartæ, & nugæ papiſticæ.*

Papæ? Aut qua fronte Papiſtici iactitant, eccleſiam Romanam ſolam eſſe catholicã? Quiuis etiã ſimplex Chriſtianus facilè iudicare iam poteſt, quale hoc ſit fundamẽtum papiſticæ monarchię. Eccleſia uniuerſalis eſſentialiter eſt cõuocatio in diuinum cultum omniũ credentiũ in Chriſtum: uirtualiter aũt eccleſia Rom. & põtifex max. Eccleſia Rom. repręſentatiuè eſt collegiũ cardinaliũ: uirtualiter aũt pontifex ſummus, qui eſt eccleſia, aliter tamẽ quàm Chriſtus. Hinc illationes ſunt plusq́ authenticæ, Eccleſia Rom. nõ poteſt errare: Qui nõ audit Eccleſiam Rom. ſit tibi ceu ethnicus & publicanus.

*Bene aliter: quia Chriſtus eſt uerè caput Eccleſiæ, Papa fictè & ſophiſticè.*

*Definitio in ſymbolis.*

Porrò definitio Eccleſię catholicę, ꝙ ſit cõmunio ſanctorũ, nõ eſt cõficta ingenio humano, ſed ex fontib. diuinæ ſcripturæ hauſta. Sic enim ſcripſit Ioan. ſummus theologus, epiſt. 1. catholica: Verbũ uitæ annũciamus uobis, ut & uos κοινωνίαν ſocietatẽ atq; cõmunionẽ habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum patre & filio eius Ieſu Chriſto. Ea uerò cõmunio & unio non eſt imaginaria, ut homo uiuens & homo pictus unum quiddã ſunt: non etiam per affectionẽ mutuã, ut amici plures unum ſunt. Sed credentiũ in Chriſtũ unitas & cõmunio, cum Chriſto, & per Chriſtũ, cum Deo patre & ſpiritu ſancto, realis & eſſentialis eſt: ut beatus Dionyſius docet, & Paulus ad Epheſ. 5. cap. Eſt aũt Deus ſolus ſanctus, ſolus bonus, ſolus immortalis, ſolus beatus. Ea uerò cõmunicat & impertit miſeris mortalib. in Chriſto, et propter Chriſti meritũ. Vt prudentius Chriſtianus poeta in Apotheoſi, hoc eſt, conſecratione & deificatione hominum, copioſe cecinit, uerſibus heroicis exponẽs canticũ canticorũ Solomonis regis ſapientiſsimi. Cuius argumentũ ipſe Prudẽtius initiò proponit: & trinitatis ſummæ myſterio deificationem uel canoniſationem hominis adijcit, his uerſibus:

*Communio ſanctorum.*

*Prudentius apotheoſin ſcripſit, id eſt hominis deificationem.*

*Edere ſed uerbum patris eſt: at cætera uerbi:*
*Adſumptum geſtare hominem, reparare peremptum,*
*Conciliare patri, dextraq; in ſede locare.*

Spiritus

*Spiritus iſta Dei complet: Deus ipſe fideles*
*In populos chariſma ſuum diffundere promptus,*
*Et patris, & Chriſti uirtutem in corpora transfert:*
*Vt caro noſtra Deo tandem ſociata quieſcat.*

*Hic finis eſt, ſummumq́; bonum hominis.*

Et quàm pulchra conuenientia eſt, ut caput omnium ſanctarum Dei eccleſiarum, omniumq́ꝫ Chriſtianorum ſit uel eceleſia Rom. uel Papa Rom. ut conſtitutio ſuppoſititia nugatur? O capita eleboro purganda, uel malleo prophetico Hieremiæ demulcenda.

*Myſteria unionis et fidei Chriſtianæ.*

Poſtremò, ut communio & unio Eccleſiæ cum Deo uera & intima per mediatorem Chriſtum, uarijs parabolis adumbratur, fœderis, teſtamẽti, coniugij, corporis, & alijs: ita peragitur etiã ſacroſanctis myſterijs. De quibus dicetur ſuo loco & tempore copioſius.

## DE SACRAMENTIS FIDEI ET *unionis Chriſtianæ.*

*Sacramentum quid.*

Sacramentum eſt ſacrum ſecretum, uel ſacræ rei ſignũ, uel inuiſibilis gratiæ uiſibilis forma. Quas diui Auguſtini definitiones Gratianus in decreta ſua retulit de Conſecratione, & Lombardus in quartum librum Sentẽtiarũ, & Durandus in Rationale diuinorũ. Sacræ res ſunt, quę ritè ſunt per pontifices Deo cõſecratę: ueluti ædes ſacrę, & donaria, quæ ritè ad miniſteriũ Dei dedicata ſunt, ait Iuſtinianus lib. 2. Inſtit. tit. 1. Ineptè uerò Durãdus: Cõſecrare eſt, conſecratione trãſubſtantiare: ſanctificari eſt ex tactu ſeu admixtione ſacræ rei reuerendum & ſanctũ effici. Iuxta quam definitionem primogenita ex hominibus & pecoribus, quæ Exodi capite decimotertio Domino conſecrantur, & ſanctificantur etiam, tranſſubſtantiata eſſe oportet intelligi.

*Sacrum, conſecrare quid.*

*Finis & uſus ſacramentorum.*

Sacramenta eſſe deſtinata fini hominis, & ſummo bono, ac beatitudini, quem finem θέωσιν & ἀποθέωσιν deificationem uocarunt theologi, & philoſophi excellentes, docet Dionyſius. Huc enim doctrina etiam & totum Eccleſię miniſterium pertinet. Deificatio, ut Anaſtaſius docet,

docet, non eſt naturæ mutatio, ſed in meliorem cōditionem & gloriam euectio. Deo enim ſeſe impertiente hominibus in Chriſto filio naturali & æterno & conſubſtãtiali, per adoptionem & gratiã ipſi quoq; fiunt Dei filij, Deiq; ſimiles & conſortes. quod fit per intimã & eſſentialem unionem. Vnde ſacramenta omnia Dionyſius dicit ſymbola ſynaxeos, coniunctionis diuinæ, & unionis, & communionis.

*Summum bonũ hominis, diuinitas.*

*Sacramẽta duo.*

Noui Teſtamenti ſanctor & princeps Dominus IESVS CHRISTVS Eccleſiæ ſuæ tradidit baptiſmum, & cœnam euchariſticam. Nec plura ſacramenta numerat Iſidorus, aut Rabanus archiepiſcopus Moguntinus, circa 860. annum Chriſti ſcribens. Quando autem & per quos ſeptem introducta ſint ſacramenta: & duo, quæ Chriſtus tradidit, mutata ſint, & conuerſa in cauponationem turpem, & uenerationem creaturæ non piam, nolo hîc exponere. quod argumentum proprij & ingẽtis eſſet operis.

*Baptiſmus.*

Baptiſmus tinctio Latinè dicit̃, Iſidoro interprete. Tingunt̃ enim homines, uel perfundũtur aqua in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Occulta uerò ſancti ſpiritus gratia & uirtus abluit peccata originis & alia, propter Chriſtũ mediatorẽ, & ſanctificat, regeneratq́;, & in corpus ipſius filij Dei & Eccleſiæ ſanctæ catholicę inſerit. Vocat Iuſtin. martyr, & Dionyſius etiã φωτισμὸν illuminationem, ſicut etiam henoticon Zenonis. Petrus lauacrum regenerationis uocat. Et Chriſma cũ baptiſmo dabatur uſq; ad Rabani tempora. Poſtea demum confirmatio ſingulare ſacramentum euaſit. Baptiſabantur infantes, ut Dionyſius docet, apoſtolorum tempore: id quod Origenes quoq; teſtatur. Adulti prius erudiebantur in fide Chriſtiana, qui catechumeni dicebantur, donec fidei confeſsionem edere poſſent, uel apoſtolicum uel Nicænum ſymbolum recitantes. De quo prius etiam dixi.

*Euchariſtia.*

Euchariſtia non ſonat bonam gratiam, ut Iſidorus expoſuit,

poſuit, idq; ſecutus eſt Durandus, & alij: ſed gratiarum actionem. Charis quidem eſt gratia, & εὖ bonum. Sed εὐχαριστεῖν ſignificat agere gratias: quo uerbo Euangeliſtę indicant, quomodo Chriſtus ſummus pontifex inſtituerit ſacrum conuiuium corporis & ſanguinis ſui. Pane enim accepto, εὐχαριστήσας, uel εὐλογήσας, ubi gratias egit Deo patri, & benedixit, fregit, ac diſtribuit diſcipulis. ſimiliter & calicē porrexit. Iuſsit autem hoc facere in memoriam ſui, donec ueniat, nimirum ad iudicium. Quod Paulus exponit, Mortem Domini annunciantes.

*Sacrificiũ Chriſtianitatis.*

Iuſtinus in diſputatione cum Tryphone principe Iudæorum apud Epheſum, adducto Malachiæ prophetæ ex cap. 1. teſtimonio, In omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio mūda: ſubijcit, De ſacrificijs θυσιῶν, quæ à nobis gentibus offeruntur in omni loco, hoc eſt, τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας, καὶ τοῦ ποτηρίου ὁμοίως τῆς εὐχαριστίας, de pane gratiarū actionis, & ſimiliter poculo gratiarū actionis prædixit. Eſt etiam apud Ebr. ueteres dogma receptiſsimū, in aduentu Meſsiæ benedicti ceſſatura eſſe omnia ſacrificia legalia, tantumq; celebrandum ſacrificium תודה thodah, gratiarum actionis, laudis, confeſsionis: & illud peragēdum pane ac uino, ſicut Melchiſedek rex Salem & ſacerdos Dei altiſsimi temporibus Abrahami panem & uinum protulit.

*Meſsiæ cultus ſecundum Ebr.*

*Oblationes in cœna Domini.*

Offeruntur ergo Deo preces, & laudes, & ampliſsimæ actiones gratiarū pro filio unigenito, pro nobis tradito in mortem, ut liberaremur ab omni malo, & conſortes eſſemus cœleſtis hęreditatis. Conferebant olim pij etiam panes, uinum, & alia pertinentia ad uictū, quæ diſt. 45. ex concilio Laodicenſi uocantur ſymbola & comeſſalia: è quibus conuiuium ſacrum apparabatur, quod Tertullianus alijq; ueteres ἀγάπην uocarunt, id eſt, charitatē & dilectionem. Hæ oblationes etiam primò per ſacram precem offerebantur Domino, deinde conuiuijs & ſacris epulonibus diſtribuebantur: unde collectarum &

collationum, & oblationum uerba exiſtunt in eccleſia.
Quin tota eccleſia, cum capite Chriſto ſurſum eleuatis ſa
cris muneribus offerebatur cœleſti patri. Et quia princi-
*Chriſtus & eccleſia ſimul offerebantur.* pi ſuo eccleſia has ſolennes penſitationes, ac ueluti uecti
galia & tributa ſoluit, Euchariſticum ſacrum, & Domi-
nica cœna, dicta eſt Ebraicè Miſſa, Græcè κανῶν, Latinè
*Miſſa, canon, oblatio.* oblatio quod canoniſtas, & canonis miſſalis interpretes
maximos latuit hactenus. Sed de his aliàs.

Quia uerò dogma trãſubſtantiatiõis, uel localis & cor
poralis præſentię corporis Chriſti in pane, uel ſub pane,
*Corporalis præſentia Chriſti in cœna & ſymbolis.* uel cũ pane & uino, magnas & exitioſas peperit cõtenti
ones, ſtrictim indicabo, per quos, & quo tẽpore nouę o-
piniones inuectę ſint, poſt Iuſtiniani tẽpora in eccleſias.

*557. anno Chriſti.* Pelagius miſſæ adhibuit defunctorum & mortuorum
memoriam. Quanquam Auguſtinus etiam aliquid hu-
iuſmodi fuiſſe tẽpore ſuo, indicat in libro ad Laurentiũ.

590 Gregorius magnus in euchariſtico ſacro non pauca
nouauit. Et aſſeruit, miſſarum ſolennia data eſſe ad abſo-
lutionem peccatorũ. quod ſanguini Chriſti ſacri libri tri-
buunt, & merito paſsionis ac mortis Domini, cuius me-
moria peragitur in cœna Dominica. Liberum tamen ec
cleſijs fuit, Gregoriano uti officio, uel non. Donec Caro
lus magnus ab Adriano & cõcilio Rom. iuſſus, minis &
ui obtruſit officium Gregorianum.

690 Tempore ſextæ ſynodi generalis de adoratione ſym
bolorum, aut tranſubſtantiatione nihil adhuc agitatũ eſt
in eccleſijs. Vſum autem imaginum in templis admiſit i-
ſtud concilium. Indicat uerò canõ 32. à Iacobo & Baſilio
ſacrũ officium ἱερουργίαν ſcripto editum eſſe, non additũ,
ut in decreto Gratiani legitur.

720 Secutus eſt ergo mox Ioannes Damaſcenus, qui &
Manzur & Chryſoroas, qui in expoſitione fidei ſimula-
chrorũ uenerationẽ piam eſſe docuit, & μεταποίησιν trãſ-
mutationem panis & uini miraculoſam & ineffabilẽ in
corpus & ſanguinem Chriſti aſſeuerauit, audacius quàm
uerius.

uerius. Si quæras modum, inquit, nihil amplius ſcimus, quàm quòd uerbum Domini, Hoc eſt corpus meum, eſt uerum, & efficax, & omnipotens: modus autem inſcrutabilis. Et iſte præclarus theologus, argumento à potentia Dei infinita, ad eſſe rerum, putauit eccleſię ueterem et catholicam doctrinam conuelli poſſe.

Septima tamen ſynodus Conſtantinopolitana imagi 730
num uenerationem damnauit, & aſſeruit Dominũ Chriſtum ueram ſui corporis imaginem tradidiſſe, in typum & memoriam paſsionis ſuæ uiuificę: nempe euchariſtiæ panem & calicem: quæ ſacerdos uelut mediator accedẽs ex communibus ſacra & ſancta facit, ſacra illa ſua ἀναφορᾷ, eleuatione, uel oblatione.

Inde conticuit ad tempus dogma ſacramentarium de 850
tranſubſtantiatione, uſq; ad tempus Ludouici ſecũdi, & Ioannis VIII Papæ. Quod tempus ita fuit miraculorum fœcundum, ut etiam Papa ipſe ederet puerum. Tunc ergo uehementius mota eſt quæſtio, de ſymbolorum eſſentia in ſacramentis, & miraculoſa commutatione. Bertramus tamen, & Ioannes Scotus, Eccleſiæ doctrinã catholicam defenderunt.

Berengarius quoq; docuit ſubſtantiam panis & uini 1052
permanere in ſacramento, ſicut Gelaſius Papa clariſsimè docuit paulo ante Iuſtiniani tempora. Eius autem Berẽgarij Andegauenſis presbyteri doctrinam, conciliũ Vercellenſe damnauit, ut hæreticam: & approbauit opinionem craſſam Lanfranci, utq; uerius dicam Capernaumicam hereſim, ut Auguſtinus uocat: Subſtantias terrenas panem & uinum per miniſterium ſacerdotale diuinitùs in eſſentiam corporis Dominici mutari mirabiliter, ineffabiliter, incomprehenſibiliter: & fideles ſumere corpus Chriſti, quod tamen in cœleſtib. exiſtat ad dexterã Dei patris immortale, integrũ, inuiolatum, illæſum. Inde inualuerũt diſputatiões ſpinoſæ, & rixoſæ, & logomachię, & κυβείαι λόγων prophanæ de ſacroſanctis & ueneran-

dis myſterijs noſtræ ſalutis: quas Hugo, Thomas, Lombardus, Innocentius, Scotus, & alij tractarunt, non magno religionis Chriſtianæ bono.

1205 Innocentius tertius Papa cum Laterano concilio inter fidei catholicæ articulos retulit mutationem panis & uini euchariſtiæ in corpus & ſanguinem Chriſti: ut Decretalis ipſius libro 3. prolixè oſtendit. Idem Innocentius metuens fortaſſe nouo ſuo deo, ſtatuit, ut euchariſtia in cũctis eccleſijs ſub cuſtodia clauibus adhibitis conſeruetur: ut libro tertio Decretalium, titulo 44. legimus. Contra Clementis decretum diſtin. 2. de conſecr. & aliorum, qui uetuerunt, quicquam de ſymbolis reſeruari in poſterum diem.

1216. Honorius tertius porrò, nepos Innocentij, ſecutus auunculũ, conſtituit, ut euchariſtia in loco ſingulari, mũdo, & ſignato ſemper honorificè collocata, deuotè ac fideliter conſeruetur: ut ſub uelamine deferat̃ ad infirmos: ut cum eleuatur in celebratione miſſarum, aut defertur, plebs reuerenter ſe inclinet. quod lib. 3. Decretal. tit. 41. legimus. Ita quidem ſacramentum corporis & ſanguinis Domini clarè uidemus deificatum eſſe, & conuerſum in Deum nouum, quem patres eccleſiaſtici ignorauerunt. Habet enim templum & palatium, habet uenerationem & adorationem, habet cœlum panaceum & linteũ Chriſtus impanatus. Ne igitur nouiſsimo deo & proprio ac peculiari Papę Roman. deeſſent noui chori angelorum, honorificus ille Honorius confirmauit ordines Cherubicos & Seraphicos monachorum minoritarum & prædicatorum.

*Ordines Franciſcanorum, & Dominicanorũ.*

1263 Ac ne quid omnino deeſſet ad latriã, Vrbanus quartus inſtituit feſtum corporis Chriſti cum largis indulgentijs, uelut nouus Aharon in deſerto Sinai. Cuius decreta-
1218 lem extrauagantem Clemens quintus confirmauit lib. 3. Clementinarum, de reliquijs & ueneratione ſanctorũ. Id feſtum Corporis Chriſti uocant. utinam uerò non eſ-

ſent

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-765435-p0094-7

ſent orgia Bacchi, & feſtum ſtultorum.

Compoſuit hymnos & officium eius feſti Thomas doctor ſanctus. Et in ueſpertino hymno ita cecinit, de utraq; ſpecie laicis etiam danda: Sic ſacrificium Chriſtus inſtituit, cuius officium committi uoluit ſolis presbyteris, quibus ſic congruit, ut ſumant, & dent cæteris. At concilium generale Conſtantienſe, poſt annos 150. ritum hunc abrogauit, & ſanxit, laicis duntaxat panem in euchariſtia dandum eſſe: quia ſub utraq; ſpecie tam panis quàm uini, ueraciter corpus & ſanguis Chriſti contineatur. Ac damnauit hæreſeos omnes illos, qui dicant hoc illicitum eſſe.

Thomas de Aquino.

1417

Poſtremò concilium Tridentinum ita dogmatizauit: Si quis dixerit in ſacratiſsimo euchariſtiæ ſacramento nō contineri uerè & realiter & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem, unà cum anima & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum: ſed tantum in eo eſſe, ut in ſigno, uel figura, aut uirtute: ſit anathema maranatha. Si quis dixerit unigenitum Dei filium Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum in euchariſtia non eſſe eo cultu, qui latria dicitur, adorandum, adoratione etiam externa, aut non feſtiua peculiariq; celebritate uenerandum, neq; licere ſecundum pium, laudabilem, & uniuerſalem Eccleſiæ ſanctæ ritum & conſuetudinem in proceſsionibus ſolennite rcircumgeſtare, aut publicè, ut adoretur, populo ſpectandum proponere, & eius adoratores eſſe idololatras, anathema ſit.

1551

Quis agnoſcit in euchariſtia tali ritū à Domino Chriſto traditum, & obſeruatum ab ipſis Apoſtolis, ſicut Paulus teſtatur, ſcribens ad Corinthios? qui ritus adhuc fuit imperante Antonino Pio, ut Iuſtinus teſtatur. Aut quis non probet ſapientiam ac religionem diui Iuſtiniani, qui errores & abuſus ſua ætate ingruentes emēdauit, omnia reuocans ad primam formam? Taceo nunc miſſarum contractus, emptiones, uenditiones, conductiones, per-

Inſtitutū Chriſti primitiuū longè aliud, quàm hodie miſſa Romana.

mutationes: taceo magicas ſuperſtitiones, taceo abuſus & abominationes uarias. Quæ rectè emendari non poterunt, niſi Chriſti pōtificis inſtitutum renouetur. Quod ut citò fiat, ſuperi propitij nobis donent: Amen.

## DE CHRISTIANIS HAERETICIS.

*Hæreſis nomen.*

Hæreſis Græcè ab electione uocatur: quòd ſcilicet unuſquiſq; id q̄d melius ſibi eſſe uidet̄, eligat. ut philoſophi Peripatetici, Academici, Epicurei, & Stoici: uel ſicut alij, qui peruerſum dogma cogitantes, arbitrio ſuo de Eccleſia receſſerunt. Inde ergo hæreſis dicta, Græca uoce, ex interpretatione electionis, qua quiſque arbitrio ſuo ad inſtituenda, ſiue ad ſuſcipienda quælibet, ipſe ſibi elegit. Nobis uerò nihil noſtro ex arbitrio inducere licet, ſed nec eligere, quod aliqui de arbitrio ſuo induxerint. Apoſtolos Dei habemus authores: qui nec ipſi quicquā ex ſuo arbitrio quod inducerent, elegerūt: ſed acceptam à Chriſto diſciplinam, fideliter nationibus aſsignauerūt. Itaq; ſi etiam angelus de cœlis aliter euangelizauerit, anathema uocabitur. Secta à ſequendo, & tenendo nominata eſt. Nam ſectas dicimus habitus animorū, ac inſtituta circa diſciplinam uel propoſitum, quod tenendo ſequuntur, longè alia in religionis cultu opinantes q̄ cæteri. Hæc Iſidorus epiſcopus lib. 8. capite 3. non inſcitè. Quem ſecutus eſt Rabanus lib. 2. cap. 58. de Clericorum inſtitutione: & Gratianus cauſa 24. quæſt. 3. Quibus ſi contenti fuiſſent canoniſtæ, & hæreticorū mallei quidā, non ſeſe ridendos uel pueris exhibuiſſent.

*Ita etiam Tertullianus docuit.*

*Apoſtoli audiendi, qui nihil docuerunt quàm quod acceperūt à Domino.*

*Galat. 1. Pauli dictum.*

*Secta quid.*

*Hæreticus quid in legibus Imperatorijs.*

Hæreticum lex prima definit per oppoſitum catholici. Dicit enim: Reliquos demētes uæſanosq; iudicātes, hæretici dogmatis infamiā ſuſtinere uolumus. Quod formula dialectica enunciaret̄: Hæreticus eſt, qui nō eſt orthodoxus & catholicus. ut cū iuris ciuilis interpretes dicūt: Iuſtum eſt, cuius cōtrarium eſt iniuſtū. Quod genus definiendi uocant dialectici κατ' ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου: hoc

eſt, ut Boethius expoſuit, per priuantiam uel ablationē contrarij, eius quod definitur. M. Cicero uocauit in Topicis, argumentum à contrario: ut, Bonum eſt, quod malum non eſt. Qua definitiōe maximè uti licet, ut dialectici docent, cum eſt contrarium notum. Velut in his legib. De ſūma trinitate, catholici et orthodoxi notiſsimi ſunt ex propoſita definitione. Catholici enim declarātur, qui tenent fidem orthodoxam & catholicam, à Petro apoſtolo Romanis traditam. His aduerſantur hæretici. Ea definitio paulo copioſius enunciatur titul. 5. lib. 1. cod. l. 2. Hæreticorum uocabulo continentur, & latis aduerſus eos ſanctionibus debent ſuccumbere, qui uel leui argumēto à iudicio catholicę religionis & tramite detecti fuerint deuiare. In qua definitione ſibi mirè applaudunt papiſtici: at fruſtra. Non enim hæretici definiuntur, qui leui ſuſpicione deprehenſi fuerint deuiare ab eccleſiæ Rom. traditionibus: ſed detecti & manifeſtè conuicti argumento, indicio, probatione, quòd deuient à iudicio & tramite religionis & fidei catholicæ. Et Nouell. conſtit. 109. de fœminis fide hæreticis, multo copioſius definitio exprimitꝛ: Qui incōtaminata cōmunione in catholica Eccleſia cū Dei amantiſsimis huius ſacerdotibus nō participant, optimo iure uocamus hæreticos. Tametſi enim Chriſtianorū ſibi nomen imponunt, eo tamen ipſo quòd à uera Chriſtianorum fide, pariter & communione ſeipſos ſeparant, Dei ſe iudicio ſubdi cognoſcāt. Et reliqua. Ibidem quoq; definitio ponitur κατ᾽ἀντίλεξιν, quæ nomē uulgatius & aliquāto notius ponit pro ignotiori: ut, Hæretici ſunt ſectarij. Sic autem loquitur Imperator: Hæreticos autem illi dixerunt, & nos dicimus, quicunq; diuerſarum ſectarum ſunt.

*Papiſticæ & ſophiſticæ & ſycophanticæ definitiones.*

Verùm audiamus etiam domini Papæ Iohannis magiſtrales & authenticas definitiones, & (ſi dijs placet) apoſtolicas etiam. Aequum eſt, inquit, & qui noſtris minimè accommodant obedientiam ſtatutis, ab eccleſijs ha-

beantur

beantur extorres. Quis hoc determinauit? Deus'ne? an Eccleſia catholica? An Imperator Iuſtinianus? Imò neſcio quis Ioannes Papa Rom. cognomento Mercurius, ſiue Marcolphus, ſiue Tarquinius Superbus. Quid ergo præterea mandat? In quibus obſeruantes ea quæ ab ipſorum ſunt ſtatuta pontifice, eos minimè in noſtra cõmuniõe recipimus, & ab omni eccleſia catholica eſſe iuſſimus alienos: niſi errore damnato, doctrinam noſtram quãtocius ſequi, habita regulari profeſsiõe ſignauerint.

O' graues & ſanctas leges domini Papæ Ioannis ſecũdi Tarquinij Superbi, uel potius Numę Põpilij, aut Aharonis Latini, & Melchiſedec è Syria translati in Latium Gregorij tertij Papæ Ro. Hæretici ſunt, & ab omni Eccleſia alieni & extorres, quicunque non audiunt uocem paſtoris Papæ Romani, neque illius ſtatutis omnibus accõmodant obedientiam. Satis equidem pro imperio. Cur nõ Petrus & Paulus, cęteriq; apoſtoli, ad eundẽ modum imperarũt? Quàm citò, quam facilè totũ ſubegiſſent aut perdidiſsẽt orbem? Ex eadem ſacratiſs. dialectica & iſtæ profectæ ſunt definitiones ſcitæ, ita ut nil ſuprà, propter quas & uadimonium Chriſti & Eccleſiæ catholicæ deſeratur: Hæreticus eſt homo, qui à Rom. & uniuerſali eccleſia in fidei doctrina diſcordat: Hæreticus eſt, qui trãſgreditur præcepta ſedis Apoſtolicæ: Hæreticus eſt, qui auferre uult priuilegiũ eccleſiæ Romanæ: Hæreticus eſt, quicunque non innititur doctrinæ eccleſię Rom. & pontificis Rom. tanquam infallibili regulæ fidei, à qua etiam ſacra ſcriptura robur trahit & authoritatem.

*Chriſtus dicit, Oues meæ uocẽ meam audiunt, non alieni.*

*Definitiones Papiſticæ quodlibetariæ hæretici.*

Quis ſtaret ante faciem domini Papæ, & canoniſtarũ ipſius? Niſi quod me equidem conſolatur, quòd falſa nomina & falſæ definitiones haudquaquam mutant rerum naturam. Eſt etiã una definitio canoniſtarum noſtrorũ, quæ ueluti fulmẽ perderet multos prælatos eccleſiæ Romanæ, ipſum etiam quandoq; dominũ Papam, ſi ualeret definitio. Hæreticus eſt, inquit Gloſſa decretalis primæ

De

De ſumma trinitate ac fide catholica, omnis Simoniacus. Atqui multi Papæ Simoniacè occuparunt ſedem Petri: quod eſt notoriũ. Dicit etiam Gloſſa ibidem: Hæreticus eſt, quicunq; dubius eſt in fide, qui malè interpretatũ ſcripturam: qui nouam opinionem inuenit: qui non tenet omnes articulos fidei. Et ſecundum hæc, omnis hæreticus eſt excommunicatus. Hæc determinet atq; concilij et rota ſacri Palatij: ſiquidem omnis cognitio de religione pertinet ad forum Eccleſiæ Rom. Et profectò rota, quantũuis uerſatilis, habebit ſatis negotij. Nos finẽ huic libro imponere cupiẽtes, paucula quædam adijciemus.

SCHISMATICI.

Schiſma à ſciſſura animorum nomen accepit. Eodem enim cultu, eodemq; ritu credit ut cæteri, ſolo congregationis delectatur diſsidio. Fit autem ſchiſma, cum dicunt homines: Nos iuſti ſumus, nos ſanctificamus immũdos, & cætera ſimilia. Definitionem hãc ſchiſmatis accipit Iſidorus ex libro XIX. Auguſtini contra Fauſtum Manichæum, qui catholicorum eccleſiam uocauit ſchiſma gentium. Idem Auguſtinus fermè differentiam ponit inter ſchiſma & hæreſim, quæ eſt inter iram & odium, lib. 2. contra Creſconium grammaticum. Sciſsio uel ſchiſma fieri non poteſt, niſi diuerſum aliquid ſequantur, qui faciunt: hæreſis autem, ſchiſma inueteratum, &c. *Schiſmatis nomen.*

Schiſmata in Eccleſia & populo dicũtur, tropo metaphoræ, quæ mutuò ſumit uocem à corporibus diuiſis in partes. σχίζειν enim, ſcindere, uel rumpere, & lacerare ſignificat: ut ligna, ut ueſtes ſcinduntur. Hinc & partes atq; factiones in populo diuerſæ, dicuntur ſchiſmata. Et quęnam ſint ſchiſmata, uel ſchiſmatici, docet Paulus 1. Cor. 1. Significatum eſt mihi de uobis, quia contentiones ſunt inter uos, uel potius σχίσματα, factiones & partes. Hoc autem dico, quod unuſquiq; ueſtrûm dicit: Ego quidẽ ſum Pauli, ego autem Apollo, ego Cephæ, ego autẽ Chriſti. Num diuiſus eſt Chriſtus? Obſecro autẽ uos fratres per *Qui ſchiſmatici.*

nomẽ Domini Ieſu Chriſti, ut idem dicatis omnes, & nõ
ſint inter uos ſchiſmata. Sitis autem perfecti in eodẽ ſen-
ſu & eadem ſententia. Erant ergo Corinthi ſchiſmatici,
qui glorianteſ de ſuis doctoribus Petro, Paulo, Apollo,
& non contenti ſimplici nomine Chriſti principis, & u-
nici magiſtri, alios præ ſe contemnebant.

*Hodie ſchiſmatici.*

Qui uerò ſunt hodie ſchiſmatici, dicẽtes, Nos ſumus
iuſti, ſancti, ſpirituales, à mundo ſeparati, qui ſanctifica-
mus alios noſtris precibus, & cantibus, & bonis operi-
bus? Illi'ne, qui unum caput Eccleſiæ tenẽt Chriſtum, u-
num fundamentum, unum mediatorem & interceſſorẽ,
unam iuſtitiam, uiam, ueritatem & uitam? An potius iſti
qui ſibi adoptarunt nouos patres & magiſtros, in quorũ
nomina & regulas iurati ſunt, & ſingulari ueſtitu ſignati
ac diſtincti à cæteris Chriſtianis? Et gloriantur ſe uocari
Benedictinos, Bernhardinos, Frãciſcanos, Auguſtinia-
nos, Vuilhelmicos? Et quis enumeraret omnes ſciſſu-
ras, & particulas, in quas iſti Eccleſię unitatem, & Chriſti
inconſutilem tunicã diſcerpſerũt? Lutheranos, & Zuin-
glianos, Oecolampadianos uocant ſchiſmaticos. Quis
hæc nomina indidit hominibus, ſeſe Chriſtianos profitẽ-
tibus? Lutherum autem & Zuinglium, Oecolampadiũ,
Eraſmum Roterodamum, & alios Dei ſeruos dicũt, per
quos didicerunt. O' definitores æquiſsimos ſchiſmatis
& hæreſeos. Quis ferat eiuſmodi finitores & mẽſores in
agello ſuo ſteriliſsimo? Et iſtis hominibus committerent
fines Eccleſiæ & fidei catholicæ regundi?

APOSTATAE.

*Imperatoria definitio apoſtatæ. ἀποστασία eſt defectio, uelut à fide, aut principe ſuo legitimo.*

Apoſtatarum ſacrilegum nomen ſingulorum uoces
continuæ accuſationis inceſſent, & nullis finita tempo-
ribus huiuſcemodi criminis arceatur indago. Sed ne hu-
ius interpretatio criminis latius in incerto uagetur erro-
re, eos præſentib. inſectamur oraculis, qui nomine Chri-
ſtianitatis induti, ſacrificia uel fecerint, uel facienda man-
dauerint. Ita enim titulo 7, lib. 1, Cod. definiuntur apoſta

tæ, nempe qui ritu paganorum creaturis ſacrificant. Quibus etiam accenſentur, qui Iudæi effecti ex Chriſtianis, ſacrilegis cœtibus aggregantur: qui religionem Chriſtianam uiolant ac deſerunt, & tranſeunt ad ſacrilega tēpla: qui ſanctam fidem produnt, & ſanctum baptiſma hæretica ſuperſtitione profanant: qui ſeruos aut ingenuos ui aut ſuaſione ex cultu Chriſtianæ religionis in ſectas nefandas ac ritus traducunt: qui clerici aut monachi orthodoxæ fidei, relicto cultu religionis orthodoxæ, hæreſes & dogmata ſequuntur abominanda. Horum nihil peccant, qui falſa dogmata, & ritus prophanos, & notorios abuſus eccleſiæ Rom. reprehendunt & cauent. Ideoq́; minimè in eos competit crimen apoſtaſiæ.

# DE SVMMA TRINITATE ET FIDE CATHOLICA LIber Tertius.

QVemadmodum Iuſtinianus, & Tribonianus, cæteriq́; uiri docti, qui operam nauarunt in iure ciuili reſtituendo, poſuerūt tres leges Imperatorum Chriſtianiſs. ſub titulo De ſumma trinitate ac fide catholica: ita in libris Decretalium pontificiarum tres ſanctiones ponuntur, una Innocentij tertij, altera Gregorij x. tertia Clemētis quinti: ſiue id caſu factum eſt, ſiue conſultò uoluerunt æquare numerum legum Imperatoriarum, quas decretales hoc libro, cum ſcholijs & apparatu ſuo reddam. Quibus adiunxi conſtitutionem Iuſtiniano adſcriptam, & in codice ipſius ſuppoſitam. Addidi & donationem Conſtātini, quæ ueluti paraphraſis eſt Iuſtinianæ legis: ut hic liber myſteria & fundamenta eccleſiæ & curiæ Romanæ ſit exhibiturus. Quàm bene autem fecerim, edēdo in publicum religionis papiſticæ, & iuris canonici, & poteſtatis plenæ ac ſummæ in eccleſias & imperium Romanum

*Compendiū Papiſticæ inſtitutionis.*

num fundamenta, uel quàm rectè gloſſauerim Apocaly pſin iſtam domini papæ, relinquo æſtimãdum Chriſtianis uniuerſis.

AD DECRETALEM INNOCENTII TERtij Papæ Rom. explicatio circunſtantiarum.

INnocentius tertius, qui antè Lotharius uel Lutherus dictus fuit, Anagninus è comitum familia, in cardinalium Rom. collegiũ à Cœleſtino cooptatus, ei mortuo ſucceſsit in pontificatu, anno 1198 poſt Chriſtum natum, paucos poſt annos, quàm Vuernherus Germanus libros diui Iuſtiniani repertos in Italię bibliothecis, reuocauit in lucẽ, & Lotharius Imperator, Saxoniæ dux, iuſsit eos legi in Academijs, & ſecundũ eos iudicari in imperio. Gratianus autem ſcripſit decretũ, quod Eugenius tertius approbauit, ut illo regat̃ eccleſia Ro. Quãdo etiã Frãciſcus & Dominicus nouos ordines monachorũ condiderunt.

*Ius ciuile Rom. reuocatum.*

*Gratiani decretum.*

Fuit autẽ Innocentius uir ingenij excellentis, & minimè uulgaris doctrinæ. Qui tũ alia ſcripſit, tum librũ de baptiſmo, duos de officio miſſæ, ſex de ſacro altaris myſterio, & decretales aliquot. Is ſtatim ut inijt pontificatum, nil prius habuit, quàm bellum Aſiaticum, exemplo Cœleſtini, pro terra ſancta proſequi. Tandem uerò dilabentibus copijs Chriſtianorum, ubi uideret potentiam Saracenorum creſcere, concilium maximum Romæ in palatio Laterano celebrauit, anno 1205.

*Qualis uir Innocentius.*

Cui cõcilio tertio Laterano interfuere Imperator Ro. Imperator Cõſtantinopolitanus, & oratores ac legati regum Hieruſalem, Frãciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Cypri: præter aliorũ principũ & ciuitatũ legatos. Interfuerũt etiã patriarchæ Hieroſolymitanus & Cõſtantinopolitanus: metropolitani LXX. epiſcopi CCCC. abbates XII. Priores conuentuales DCCC. ut generaliſsimum dici poſsit concilium, cum Papa Rom. & toto clero Romano coactũ.

*Concilium Lateranum 1205.*

Venêre tum in conſultationem plurima, nec tamen quicquam apertè potuit decerni, teſte Platina. Quod in

telligi oportet de bellis: quòd Papa non potuit Chriſtia-nos principes in Aſiaticum bellum iterum impellere, pleriſq; abhorrentibus propter ingentia & recens accepta detrimenta, uel propter bella domeſtica. In negotijs uerò eccleſiaſticis res maximæ tractatæ & decretæ ſunt. *Acta concilij maximi.*

Nam primùm dãnatus eſt liber abbatis Floriacēſis Ioachimi, qui carpſerat quandam ſententiam Petri Lombardi. Ediderat enim ante paucos annos Lombardus, theologiæ profeſſor Pariſienſis, & poſtea epiſcopus, quatuor libros Sentẽtiarum theologicarum, cupiens fidem Chriſtianam munire, uel munitam oſtendere aduerſus improbos homines, & ſacramenta eccleſiaſtica explicare, ut ipſe dicit. In primo autem libro, diſtinctione quinta, ſub litera e ita ſcripſit: Cum una & ſumma quædam res ſit diuina eſſentia, ſi diuina eſſentia genuit eſſentiam, eadẽ res ſeipſam genuit: quod omnino eſſe non poteſt. Sed pater ſolus genuit filium: & à patre atq; filio procedit ſpiritus ſanctus. Eam ſententiam oppugnauit Ioachimus, uocans etiam Lombardum hæreticum & inſanum. Itaq; ſynodus Lateranenſis approbauit ſententiam Lombardi, & damnauit librum ſiue tractatum Ioachimi, contra magiſtrum Petrum Lombardũ ſcriptũ: & omnes damnauit, qui eam doctrinãm Ioachimi præſumerent approbare. *Damnatio Ioachimi abbatis.*

Ab eo concilio & approbatione, libri quatuor Petri Lombardi maximam authoritatem obtinuerunt: ut per metonymiam dicatur Lombardus magiſter eccleſiarũ. Et meritò quidem. Nam tum alia peraccommoda eccleſię Rom. ſcripſit, tum panis & uini tranſſubſtantiationẽ aſſeruit, inquiens lib. 4. diſt. 10. Sunt item alij pręcedentiũ inſaniam tranſcendentes, aſſerentes in altari non eſſe corpus Chriſti uel ſanguinem, nec ſubſtantiam panis uel uini in ſubſtantiam carnis & ſanguinis cõuerti. Et reliqua. *Magiſter ſententiarum approbatus.* *Lombardi ſentẽtia de ſacramento euchariſtiæ.*

Damnatus eſt etiam Almaricus epiſcopus Carnotenſis, qui magna ingenij & doctrinæ fama docuit Pariſijs: quem & ſectæ Albienſium, uel Albingẽſium authorem *Almarici damnatio.*

fuiſſe dicunt, qui tum alia dogmata, ob quæ damnati & exuſti ſunt, habuerunt: tum quòd corpus Chriſti non aliter ſit in pane altaris, quàm in alia quacunq; re. Nauclerus ſcripſit Almaricum hęreſeos damnatum, quòd docuerit, quoſq; Chriſtianos membra eſſe corporis Chriſti, & affectioni ſubiectos fuiſſe, quum ipſe Chriſtus pateretur. Platina duos alios errores illi aſsignat, quòd ideæ in mēte diuina creent & creentur, quodq; in charitate conſtituto nullum peccatum imputetur.

Quicquid autem Almaricus dogmatizauerit, cōciliū Lateranenſe damnauit eius doctrinam, ut hæreticam & inſanam. Doctrinam uerò Lombardicam & Lanfrancicam de tranſſubſtantiatione panis & uini euchariſtiæ, poſuit inter fidei articulos: damnans hæreſeos, qui contrarium ſentiunt. Cuius damnationis uerba ſunt hæc: Ex cōmunicamus & anathematiſamus omnem hęreſim, extollentem ſe aduerſus hanc ſanctam, orthodoxam, catholicam fidem: damnati uerò ſecularibus poteſtatibus relinquantur, animaduerſione debita puniendi.

## INNOCENTIVS III. DE SVMMA trinitate & fide catholica, in concilio generali, libro Decretalium primo.

*Rubrica notauit, tractari de trinitate & ipſius operibus: de fide, & articulis fidei.*

*Summa trinitas copioſè deſcripta.*

FIrmiter credimus, & ſimpliciter confitemur: quòd unus ſolus eſt uerus Deus, æternus, immenſus, & incommutabilis, incomprehenſibilis, omnipotēs & ineffabilis, pater, & filius, & ſpiritus ſanctus: tres quidem perſonæ, ſed una eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex omnino. Pater à nullo, filius à patre ſolo, ac ſpiritus ſanctus pariter ab utroq;, abſq; initio ſemper, ac ſine fine. Pa-

ter generãs, filius naſcẽs, & ſpiritus ſanctus procedens. Conſubſtantiales, & coæquales, & coomnipotentes, & coæterni: unum uniuerſorũ principium, creator omniũ uiſibiliũ & inuiſibiliũ, ſpiritualiũ & corporaliũ. Quæ ſua omnipotenti uirtute ſimul ab initio tẽporis utranq; de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem & corporalem, angelicam uidelicet & mundanam, ac deinde humanã, quaſi communem, ex ſpiritu & corpore conſtitutam. Diabolus enim & alij dęmones à Deo quidẽ natura creati ſunt boni, ſed ipſi per ſe facti ſunt mali: homo uerò diaboli ſuggeſtione peccauit.

*Creator cœli et terræ: item lapſus & deprauatio tum angeli, tum hominis.*

Hæc ſancta trinitas ſecundum communem eſſentiam indiuidua, & ſecundum perſonales proprietates diſcreta, primò per Moyſen & ſanctos prophetas, alioſq; famulos ſuos iuxta ordinatiſſimam diſpoſitionem temporum, doctrinam humano generi tribuit ſalutarem.

*Scripturæ ſanctæ origo ex Deo, & authoritas ſumma.*

Et tandem unigenitus Dei filius Ieſus Chriſtus à tota trinitate communiter incarnatus, ex Maria ſemper uirgine, ſpiritus ſancti cooperatione conceptus, uerus homo factus, ex anima rationali & humana carne compoſitus, una in duab. naturis perſona, uiam uitæ manifeſtius demonſtrauit.

*Ieſus Chriſtus, Deus & homo.*

Qui cum ſecundum diuinitatem ſit immortalis & impaſſibilis, idem ipſe ſecundum humanitatem factus eſt mortalis & paſſibilis. Qui etiã pro ſalute humani generis in ligno crucis paſſus, & mortuus, deſcendit ad inferos.

*Chriſtus paſſus, mortuus.*

Reſurre-

*Reſurrexit, aſcēdit in cœlos.*

Reſurrexit à mortuis, & aſcendit in cœlū. Sed deſcendit in anima, & reſurrexit in carne, aſcenditq́ꝫ pariter in utroq́ꝫ.

*Iudicium Chriſti in fine ſeculi.*

Venturus in fine ſeculi, iudicaturus uiuos & mortuos, & redditurus ſingulis ſecundum opera ſua, tam reprobis quàm electis. Qui omnes cum ſuis proprijs reſurgent corporibus, quæ nunc geſtant: ut recipiant ſecundum opera ſua, ſiue bona fuerint, ſiue mala: illi cum diabolo pœnā perpetuam, & iſti cum Chriſto gloriam ſempiternam.

*Hic inſerta rubrica Abbatis annotat: Tractatur hic de ſacramentis eccleſiaſticis.*

*Vna ſancta catholica & apoſtolica eccleſia.*

Vna uerò eſt fideliū uniuerſalis Eccleſia: extra quam nullus omnino ſaluatur. In qua idem ipſe ſacerdos & ſacrificium Ieſus Chriſtus.

*Tranſubſtantiatio artificioſè introducitur.*

Cuius corpus & ſanguis in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis & uini ueraciter cōtinentur, tranſubſtantiatis pane in corpus, & uino in ſanguinem, poteſtate diuina. Vt ad perficiendū myſterium unitatis, accipiamus ipſi de ſuo, quod accepit ipſe de noſtro. Et hoc utiq́ꝫ ſacramentū nemo poteſt conficere, niſi ſacerdos, qui ritè fuerit ordinatus ſecundum claues eccleſiæ, quas ipſe conceſſit apoſtolis, eorum'que ſucceſſoribus, Ieſus Chriſtus.

*κοινωνία et unio fidelium cum Chriſto illa eſt, ut ſicut ipſe incarnatus, nobis factus eſt cōſubſtantialis: ita uiciſſim inſitos ꝑ fidē efficiat Dei ſimiles, et filios Dei adoptiuos.*

*Baptiſmi uſus, & pœnitentia, remiſſioq́; peccatorum.*

Sacramentum uerò baptiſmi, quod ad Dei inuocationem & indiuiduæ trinitatis, uidelicet patris & filij & ſpiritus ſancti conſecratur in aqua, tam paruulis quàm adultis in forma Eccleſiæ à

quocun-

quocunq; ritè collatū, proficit ad ſalutem. Et ſi poſt ſuſceptionē baptiſmi quiſquam prolapſus fuerit in peccatū, per ueram poteſt ſemper pœnitentiam reparari.

Non ſolum autem uirgines & continentes, uerùm etiam coniugati per rectam fidem, & operationem bonam placētes Deo, ad æternam merētur beatitudinem peruenire. *Nullus ordo hominum excluditur à cōmunione ſanctorum.*

Deinde Ioachimi liber damnatur, & approbatur magiſter Lombardus: damnatur & Almaricus, cum ſua factione Albinenſi.

DECRETALIS GREGORII X. POſita in ſexto libro Decretalium.

Gregorius x. Papa concilium indixit & celebrauit Lugduni: quò Palęologus Cōſtantinopolitan. Imperator cū magno comitatu profectus, tertiadecima uice in ſententiam Eccleſiæ Rom. Græcos toties deficientes pertraxit. In eo concilio multa eſſe decreta, quæ ad electionem ſummi pontificis, ad expeditionem in Saracenos, ad unionem Græcæ Latinæq; Eccleſię, & pacem Chriſtianorum pertinent, Platina teſtatur. Guilielmus Durandus, qui concilio Lugdunenſi interfuit, libro 4. Rationalis diuinorum, de Symbolis ita ſcripſit: Mirum eſt, quo auſu ipſi Græci ſpiritum ſanctū à filio procedere, negare præſumūt: cum & hoc in concilio Epheſino apud eos edito contineatur expreſsè. Sed & ipſi ſe erraſſe uidentes, quoſdam prælatos de ſuis ad generale concilium *Conciliū Lugdunenſe.* *Proceſſio ſpiritus ſancti à patre Deo et filio.*

*Teſtis auritus et oculatus palinodiæ Græcorũ de proceßione ſpiritus ſancti.*

lium Lugdunenſe ſub Gregorio Papa x. celebratum miſerunt. Qui in concilio dicto publicè nobis uidentibus ſuo & omnium prælatorũ & Imperatoris Romani nomine profeſsi ſunt, quòd ſpiritus ſanctus æternaliter ex patre & filio, non tanquam ex duobus principijs, ſed tanquam ex uno principio, non duabus ſpirationibus, ſed unica ſpiratione procedit: prout in eiuſdẽ Gregorij cõſtitutione habetꝰ: corã toto cõcilio ter Græcè & ter Latinè ſymbolum cum dictis uerbis, ſecundum ſcripturas, &, Filioq́ꝫ, ſolenniter decantando. Fuit autem iſtud concilium, quo tempore poſt interregnum XVII. annorum Rodolphus comes Haſpurgenſis, Cæſar creatus eſt, anno 1273.

*1273. Rodolphus Imperator.*

VERBA DECRETALIS EIVS SVNT *hæc, poſita in principio libri VI. Decretalium.*

Fideli ac deuota profeſsiõe fatemur, ꝙ ſpiritus ſanctus æternaliter ex patre & filio, non tanq̃ꝫ ex duob. principijs, ſed tanq̃ꝫ ex uno principio, nõ duab. ſpirationib. ſed unica ſpiratione procedit. Hęc profeſſa eſt hactenus, prędicauit, & docuit: hoc firmiter tenet & prædicat, profitetur, & docet ſacroſancta Rom. eccleſia, mater omniũ fidelium, & magiſtra. Hoc habet orthodoxorum patrum atq; doctorum Latinorum pariter & Græcorum incommutabilis & uera ſententia.

*Eccleſia Rom. mater omnium fidelium, & magiſtra. Id ἑνωτικὸν Zenonis Imperatoris tribuit eccleſiæ catholicæ, nõ Romanæ, neq; Cõſtantinopolitanæ.*

Sed quia nonnulli propter irrefragabilis præmiſſæ ueritatis ignorantiã in errores uarios ſunt



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-765435-p0108-1

prolapſi, nos huiuſmodi erroribus uiam præcludere cupientes, hoc ſacro approbante concilio, damnamus & reprobamus omnes, qui negare præſumpſerint, æternaliter ſpiritum ſanctum ex patre & filio procedere: ſiue etiam temerario auſu aſſerere, quòd ſpiritus ſanctus ex patre & filio tanquam ex duobus principijs, & non tanquam ex uno procedat. Hactenus canon ille. Videntur autem illi, qui damnantur hic, affines fuiſſe Tritheitis, qui tres deos dogmatizarunt, authore Ioanne Philopono, grammatico & interprete Ariſtot. qui circa tempora Iuſtiniani uixit.

*Symbolum Cõſtãtinopolitanũ ſimplicius dicit, Qui ex patre filioq́; procedit, &c.*

DECRETALIS CLEMENTIS V. *edita in concilio Viennenſi in Gallia.*

Clemens quintus poſt longam contentionẽ Cardinaliũ, ex epiſcopo Burdegalenſi Papa creatus, ſedem põtificiam & curiam Roma in Galliã tranſtulit, anno poſt natum Chriſtum MCCCV. cum magno incommodo Chriſtianorum, potiſſimum uerò urbis Romæ, ut ſcribit Barthól. Platina. Is tria cõcilia diuerſis in locis celebrauit: & ſexto quidem anno ſui Pontificatus Viennæ, in prouincia Narbonẽſi, maximè cupiens moueri Chriſtianos principes ad expeditionem in Saracenos. In quo concilio edidit librum Clementinarum decretalium. Et prima quidem conſtitutio damnat hæreticos, negantes Chriſtum habuiſſe animam rationalem, ut cæteri homines habent. Quæ Apollinaris fuit hęreſis, iam olim dãnata

*Translatio ſedis põtificiæ in Galliam.*

*Fuit occaſio ſchiſmatis 3. Paparũ & ruinæ papatus.*

*1311. Concilium Viennenſe.*

nata Rom. principum legibus, & per concilium Conſtantinopolitanũ ac Romanum ſub Damaſo. Damnantur etiam, qui uocant in dubium, an rationalis anima ſit forma corporis humani. Vbi non ſatis explicatur unio perſonalis & hypoſtatica: quum tamen id agere præ ſe gerat illa decretalis, ut fidei ſyncerae ueritas omnibus nota fiat. Mouentur etiam quæſtiones, magis quàm ſoluuntur, de baptiſmi effectu, & applicatione paſsionis & mortis Chriſti, uel efficaciæ & meriti ac gratiæ mortis Chriſti per ſacramentum baptiſmi. Et iniјciuntur ſimplicibus animis ſcrupuli, quos uerbo Dei potius conueniebat eximere, & docere, quibus Deus, & quomodo impertiat ſuam gratiam, remiſsionem peccatorum, & uitam æternam: & quid eam ad rem conferat externum uerbum, ac ſacramenta. Sed ipſam Decretalem audiamus.

*Quales magiſtri & doctores fidei Papæ.*

DE SVMMA TRINITATE CLEMENTIS V. *decretalis in principio lib. I. Clementinarum.*

FIdei catholicæ fundamento, præter quod (teſte Apoſtolo) nemo poteſt aliud ponere, firmiter inhærẽtes, apertè cum ſancta matre Eccleſia confitemur, unigenitum Dei filium in his omnibus, in quibus Deus pater exiſtit, unà cum patre æternaliter ſubſiſtentem, partes noſtræ naturæ ſimul unitas, ex quibus ipſe in ſe uerus Deus exiſtens, fieret uerus homo, humanum uidelicet corpus paſsibile, & animã intellectiuã ſeu rationalem,

*Fundamentũ fidei eſt Christus. 1. Cor. 3. Eph. 2.*

*Partes hominis ſubſtãtiales ſunt corpus & anima.*

nalem,ipſum corpus uerè per ſe & eſſentialiter informantem, adſumpſiſſe ex tempore in uirginali thalamo,ad unitatẽ ſuæ hypoſtaſis & perſonæ. Et quod in hac adſumpta natura ipſum Dei uerbum pro omnium operanda ſalute non ſolũ affigi cruci,& in ea mori uoluit: ſed etiam emiſſo iam ſpiritu,perforari lancea ſuſtinuit latus ſuũ, ut exinde profluentib. undis aquæ & ſanguinis, formaretur unica & immaculata ac uirgo ſancta mater Eccleſia,coniunx Chriſti. Sicut de latere primi hominis ſoporati,Eua ſibi in coniugiũ eſt formata. Vt ſic certè figuræ primi & ueteris Adæ,qui ſecũdum apoſtolum eſt forma futuri, in noſtro nouiſsimo Adam,id eſt Chriſto, ueritas reſponderet.

*Athanaſius in ſymbolo id explicat, & Iuſtinus copioſius in cõfeßione fidei.*

*Geneſ. 3. quod Paulus expoſuit Epheſ. 5.*

Hæc eſt inquam ueritas, illius prægrandis aquilæ uallata teſtimonio, quam propheta uidit Ezechiel,animalibus cæteris euangelicis trãſuolantem,beati Ioannis uidelicet apoſtoli & euangeliſtæ: qui ſacramenti huius rem geſtam narrans,& ordinẽ, in Euãgelio ſuo dixit: Ad Ieſum autem cum ueniſſent, ut uiderũt iam mortuum, non fregerunt eius crura: ſed unus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua. Et qui uidit,teſtimonium perhibuit, & uerum eſt teſtimonium eius: & ille ſcit, quia uera dicit,& ut uos credatis.

*Ezech. 1. et 10. Cherubim figurantes 4. Euangeliſtas, ut ueteres intellexerũt.*

*Ioan. 19. cap.*

Nos igitur ad tam præclarum teſtimonium, ac ſanctorum patrum & doctorum communẽ

*Hæretici dixerunt diuinitatē animæ loco fuiſſe in Chriſto. Sed miraculum aquæ & ſanguinis manantis è mortuo corpore teſtatur diuinitatē adfuiſſe, anima iam ſeparata à corpore.*

ſententiam apoſtolicæ cōſiderationis, ad quam duntaxat hæc declarare pertinet, aurem conuertentes, ſacro approbante concilio declaramus, prædictum apoſtolum & euangeliſtam Ioannē rectum in præmiſsis factæ rei ordinem tenuiſſe narrando, quòd Chriſto iam mortuo, unus militum lancea latus eius aperuit.

*Animæ ſiue partes, ſiue poteſtates ſunt, uegetatiua, ſenſitiua, progreßiua, rationalis. De rationali autem facultate, ſiue de intellectu & mēte negarunt iſti, quod tamen & Ariſtot. probauit, rationale eſſe formam hominis.*

Porrò doctrinam omnem, ſeu poſitionem temerè aſſerentem, aut uertentem in dubiū, quòd ſubſtantia animæ rationalis ſeu intellectiuæ, uerè ac per ſe humani corporis non ſit forma, uelut erroneā, ac ueritati & catholicæ inimicam fidei, prædicto ſacro approbante concilio reprobamus: diffinientes, ut cunctis nota ſit fidei ſinceræ ueritas, ac præcludatur uniuerſis erroribus aditus, ne ſubintrēt: quòd quiſquis deinceps aſſerere, defendere, ſeu tenere pertinaciter pręſumpſerit, quòd anima rationalis ſeu intellectiua nō ſit forma corporis humani per ſe et eſſentialiter, tāquam hæreticus ſit cēſendus.

*De baptiſmi effectu & uſu. Symbolum Conſtantinop. ſimpliciter confitetur unū baptiſma in remißionem peccatorum.*

Ad hoc baptiſma unicum, baptizatos omnes in Chriſto regenerans, eſt, ſicut unus Deus, ac fides unica ab omnibus fideliter confitendum. Quod celebratum in aqua, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti, credimus eſſe tam adultis quàm paruulis communiter perfectum remedium ad ſalutem.

Verùm quia, quantum ad effectum baptiſmi in paruulis, reperiuntur doctores quidam theologi

logi opiniones contrarias habuiſſe: quibuſdam ex ipſis dicentibus, per uirtutem baptiſmi paruulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri: alijs econtrà aſſerentibus, quòd & culpa eiſdem in baptiſmo remittitur, & uirtutes ac informans gratia infunduntur, quod ad habitum, etſi non pro illo tempore, quo ad uſum. Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti, quæ per baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem ſecundã, quæ dicit, tam paruulis quàm adultis conferri in baptiſmo informantem gratiam & uirtutes, tanquam probabiliorem, & dictis ſanctorũ ac doctorum modernorum theologiæ magis conſonam & concordem, ſacro approbante concilio duximus eligendam.

*Pugna theologorum ſuper ſacramẽto baptiſmi.*

*Hæc uidelicet intelligit uulgus.*

*Diuus Paulus gratiam & uirtutẽ Chriſti explicat Rom. 5. cap. De regeneratione quoque ſpirituali Ioan. 1. & 3.*

AD CONSTITVTIONEM DIVO IVSTIniano adtributam 1. lib. Cod. De ſumma trinitate & fide catholica, explicatio circunſtantiarum.

Fl. Iuſtinianus Bederinæ, uel (ut Nicephorus dicit) Achridi natus, quod oppidũ eſt Dardaniæ & Illyrici, Iuſtinianea prima denominatũ à Iuſtiniano ipſo, qui metropolim fecit: ὀρθοδοξότατος fuit, ut Suidas ſcripſit, hoc eſt, rectiſſ. ſentiens de fidei Chriſtianæ dogmatib. ſynodiq; Chalcedonenſis acer defenſor fuit: qui libros etiã ſcitè ſcripſit de incarnatione Domini cõtra Eutychetis & Dioſcuri deliriũ. Tã lõgè abeſt, ut ἀναλφάβητος & planè illiteratus fuerit. Iuſtitiæ quoq; obſeruãtiſſimus fuit, & iniquitati ac tyrannidi aduerſus. Cæterùm anno imperij ſui tertio, edidit Codicem Iuſtinianeum, & octauo abſoluit repetitam codicis prælectionem: intereaq; tempo-

*Iuſtinianus qualis princeps.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-765435-p0113-9
DFG

temporis Pandectas, & Inſtitutiones, & pleraſq; nouellas conſtitutiones edidit. Nec modò politica, & ſecularia, & prophana ordinauit negotia, ſed etiam eccleſiaſtica & ſacra, nullam prorſus rem quę ad ſtatũ eccleſiarũ & ſacerdotum pertinet, omittens.

*Ioannes 2. Papa.* Anno autem ſeptimo imperij Iuſtiniani, Ioannes ciuis Rom. pontifex creatus eſt, ſeditq; annos duos, menſes quatuor, ut Iornandes & Platina indicarunt. Statim ut pontificatum inijt, Anthimum Conſtantinopoleos epiſcopum damnauit, quòd in Arianam hæreſim declinaſſet. Iuſtinianus uerò ſedem Romanam ueneraturus, Hypatium & Demetrium epiſcopos Romam cum muneribus mittit, qui & Romanum pontificem ſuo nomine ſalutarent, & munera hæc beati Petri templo offerrent: ſcyphum aureum circundatum gemmis librarum ſex, ſcyphos argenteos duos librarum XII. calices argẽteos duos librarum XVI. De hoc admodũ pauca ſcribunt hiſtorici. Hæc Platina. Cæterùm conſtitutio Iuſtiniani nouella, quam ſuperius poſui, teſtatur, Anthimum per Agapetum, & non per Ioannem Papam eſſe damnatum. *Tempus non conuenit.* Quæ uerò de Hypatio & Demetrio narrat, ex præſenti conſtitutione mutuatus eſt Platina. Cæterùm Beliſario conſule, anno imperij nono, tertio autem anno pontificatus Ioannis, Iuſtinianus eccleſię Romanæ conceſsit præſcriptionem C. annorum, ſed & omnibus alijs eccleſijs: ut conſtit. X. Nouella teſtat. Eodemq; anno Epiphanio epiſcopo Conſtantinopolitano haud minus honoris, dignitatis, iuris, & poteſtatis detulit Iuſtinianus: ut conſtit. 5. 6. 7. & aliæ oſtendunt, poſtea editæ. Vt mihi equidem ſuboleat impoſtura & fraus in hac conſtitutione. Sed ut lectori iudicium integerrimũ & liberrimum relinquam, ipſam Iuſtiniani legem, uel potius Papæ Romanæ legem regiam & monarchicam recitabo, cum annotatiunculis in margine appoſitis.

Glorio-

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-765435-p0114-4

GLORIOSISSIMO ET CLEMENTISſimo filio Iuſtiniano Ioannes epiſcopus urbis Romæ S. D.

INter claras ſapientiæ manſuetudinis ueſtræ laudes, Chriſtianiſsime principum, puriore luce tanquã aliquod ſidus irradiat, quòd amore fidei, quòd charitatis ſtudio edocti eccleſiaſticis diſciplinis, Romanæ ſedis reuerentiã conſeruatis, & ei cuncta ſubijcitis, & ad eius deducitis unitatem, ad cuius authorem, hoc eſt apoſtolorum primum, Domino loquente præceptũ eſt: Paſce oues meas.

Azo uas electionis inter iuriſcõſultos annotauit, in libris nõnullis non haberi, & ideo non gloſſari.

Summa laus Imperatoris, quòd eccleſiæ Ro. omnia ſubijcit, apoſtolicum ſanè exordium.

*Petro dixit Chriſtus, Paſce oues meas. Igitur Papæ Rom. tradidit primatum, ut cuculat Bonifacius, de Maioritate, & diſtic. 21. & pagina Conſtantini.*

Quam eſſe omnium uerè eccleſiarum caput, & patrum regulæ, & principum ſtatuta declarant, & pietatis ueſtræ reuerendiſsimi teſtãtur affatus. Patet igitur in uobis impletũ fore, quod ſcripturæ loquuntur: Per me reges regnant, & potentes * ſcribunt iuſtitiam. Nihil eſt enim, quod lumine clariore præfulgeat, quàm recta fides in principe. Nihil eſt quod ita nequeat occaſui ſubiacere, quàm religio. Nam cum authorẽ uitæ uel luminis utraꝗ reſpiciant, rectè & tenebras reſpuunt, & neſciunt ſubiacere defectui.

Contra lib. 1. Cod. tit. 2. conſtit. 15. et tit. 17. conſtit. 1. & in Zenonis henoticō, itẽ Cyp. Hieron. Auguſtin.

* Prouerb. 8. latina editio habet, Iuſta decernunt. Sed hic Papa græciſſat.

Laus religionis, & principũ religioſorum, ſumma ex fide. Cur igitur & antea non ita locutus eſt?

*Summum uotum Papæ, ut Imperator maneat in ea ſententia, ut illi & eccleſiæ Rom. omnia ſubijciat.*

Quamobrẽ glorioſiſsime principũ, uotis omnibus exorabitur diuina potentia, ut pietatẽ ueſtram in hoc ardore fidei, in hac deuotione men-

tis, in hoc integrę religionis ſtudio, ſine defectu ſui in lõgiora tempora conſeruet. Hoc enim & ſanctis credimus eccleſijs expedire. Scriptum eſt enim: Labijs regit rex. Et iterum: Cor regis in manu Dei, & ubi uoluerit, inclinabit illud. Hoc eſt enim, quod ueſtrum firmat imperium: hoc quod ueſtra regna conſeruat. Nam pax Eccleſiæ, religionis unitas, authorem facti in ſublime prouectũ grata ſibi tranquillitate cuſtodit. Neq; enim parua ei uiciſsitudo à potentia diuina tribuit, per quẽ nullis rugis Eccleſia diuiſa ſe cernitur, nullis inſertis maculis uariat. Scriptũ eſt enim: Quia cũ rex iuſtus ſederit ſupra ſedẽ, non aduerſabitur ſibi quicquam malignum.

*Prou. 16. & 21.*

*Religionem ueram conſeruare ſingulos homines et regna, docent nos melius diuinæ literæ et Rom. Imperat. conſtitutiones.*

*Prou. 20. ſederit, id eſt exercuerit munus ſuũ.*

Proinde ſerenitatis ueſtrę † apices, per Hypatium atq; Demetrium, ſanctiſsimos uiros, fratres & coëpiſcopos meos, reuerentia conſueta ſuſcepimus. Quorum etiam relatiõe comperimus, quòd fidelibus populis propoſuiſtis edictum amore fidei, pro ſubmouenda hęreticorũ intentione ſecundum Apoſtolicam doctrinam, fratrũ & coepiſcoporũ noſtrorum interueniẽte conſenſu. Quod quia Apoſtolicæ doctrinæ conuenit, noſtra authoritate confirmamus.

*Hypatius in coniuratione deprehẽſus, à Iuſtiniano occiſus eſt: qui uir politicus fuit.*

*† Apices pro literis, non eſt illius tẽporis uerbum Latinum.*

*Atqui Iuſtin. plurima edicta pro fide catholica publicauit ſine Rom. Papæ authoritate.*

*Textus autem epiſtolæ talis eſt.*

Victor Iuſtinianus, pius, felix, inclytus, triũphator, ſemper Auguſtus, Ioãni ſanctiſsimo archiepiſcopo almæ urbis Romæ, & patriarchæ. Reddentes honorem Apoſtolicę ſedi, & ueſtrę ſan-

*Pulchrè circunſcribit ille Papa Imperatoris epiſtolam.*

ſanctitati, quod ſemper nobis in uoto fuit, & eſt, ut decet patrē, honorantes ueſtram beatitudinem, omnia quæ ad eccleſiarum ſtatum pertinent, feſtinamus ad notitiam deferre ueſtræ ſanctitatis. Quoniam ſemper nobis fuit magnū ſtudium, unitatem ueſtræ apoſtolicæ ſedis, & ſtatum ſanctarum Dei eccleſiarū coſtodire: * quæ hactenus obtinet, & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate.

*Aliter ſcribit uerus Iuſtinian. ad Io. patriarchā Rom. & Epiphanium, ac Menam Conſtant. Omnia referenda ſunt ad Papā ut can. omnes, diſt. 22.*

** Pro quæ, fortè qui, ſ. ſtatus.*

Ideóq; omnes ſacerdotes uniuerſi orientalis tractus & ſubijcere & unire ſedi ueſtræ ſanctitatis properauimus. In præſenti ergo quæ cōmota ſunt, quamuis manifeſta & indubitata ſint, & ſecundum Apoſtolicæ ueſtræ ſedis doctrinam ab omnibus ſemper ſacerdotib. firmè cuſtodita & prædicata: neceſſarium duximus, ut ad notitiam ueſtræ ſanctitatis perueniāt. Nec enim patimur quicquam, quod ad eccleſiarum ſtatum pertinet, quamuis manifeſtum & indubitatum ſit, quod mouetur, ut non etiam ueſtræ innoteſcat ſanctitati: quia caput eſt omnium ſanctarū eccleſiarum. Per omnia enim, ut dictum eſt, properamus honorem & authoritatem creſcere ueſtræ ſedis. Manifeſtū igitur facimus ueſtræ ſanctitati, quòd pauci quidā infideles & alieni, ſanctæ Dei catholicæ atq; apoſtolicę Eccleſiæ contradicere Iudaicè atq; apoſtaticè auſi ſunt, aduerſus ea quæ ab omnibus ſacerdotibus ſecundum * ueſtram doctrinam rectè tenentur,

*Diuini doctores Chriſto principi omnia ſubijciunt, non Papæ Romanæ.*

*Poſt mortem uerò Gregorij magni cœperūt Papæ moliri talem ſubiectionem et principalitatē.*

*Petrus & Paulus, Dauid, Chriſtus, dicunt Ieſum Meſſiā eſſe caput eccleſiarū, et Gregorius in epiſt. ad Ioannem Conſtant.*

*Occaſio ſcripti huius, uel argumētum fabulæ.*

** Veſtrā doct. emphaſim habet, quaſi alioqui non eſſet rectū.*

& glorificantur, atque prædicantur.

Denegantes Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, unigenitum filium Dei, & Dominum noſtrum, incarnatum de ſancto ſpiritu, & ex ſancta atq; glorioſiſsima ſemper uirgine Dei genitrice Maria hominem factum, atq; crucifixum, unum eſſe ſanctæ & conſubſtantialis trinitatis, & coadorandum, & conglorificãdum patri & ſpiritui ſancto: conſubſtantialẽ patri ſecundum diuinitatẽ, & conſubſtantialẽ nobis eundem ſecundum humanitatem: paſsibilem carne, eundemq; impaſsibilem deitate. Recuſantes enim Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum unigenitum filium Dei, & Dominum noſtrum fateri unum eſſe ſanctæ & conſubſtantialis trinitatis, uidentur Neſtorij malam ſequi doctrinam, ſecundum gratiam dicentis, unum filium Dei, & alium Chriſtum.

*Recitat ille Iuſtinianus articulos fidei, ut à Papa cõfirmẽtur. Aliter autem egit Theodoſius. Perſonatus etiã Cõſtantini ita fidẽ confitetur.*

Omnes uerò ſacerdotes ſanctæ catholicæ atque apoſtolicę Eccleſię, & reuerendiſsimi archimandritæ ſanctorum monaſteriorum, ſequẽtes ſanctitatem ueſtram, nihil penitus immutantes de eccleſiaſtico ſtatu, qui hactenus obtinuit atque obtinet, uno conſenſu confitent̃, & glorificant: prædicantes Dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtum unigenitũ filiũ & uerbũ Dei, & Dominũ noſtrum ante ſecula & ſine tẽpore de patre natum, in ultimis diebus deſcendiſſe de cœlis, & incar-

*Neſtorij dogma in cõcilio Epheſino damnatum in multis principum Rom. legibus. iterum damnatur abſq; authoritate Papæ. Quoties primatus Papæ ingeritur? Archimãdritæ, qui nunc abbates.*

*Tertiò repetit antea dictum, cõtra Iuſtiniani præceptum, qui nihil uoluit bis poni, de ueteri iure enucleando.*

incarnatum ex ſpiritu ſancto, & ſancta atq; glorioſa uirgine & Dei genitrice Maria natum, & hominem factum, & crucifixũ, unum eſſe ſanctæ & conſubſtantialis trinitatis, & coadorandum & * glorificandũ patri, & ſancto ſpiritui.

* Glorif. alij cõglorific.

Nec enim alium Deum Verbum, & alium Chriſtum cognoſcimus: ſed unũ atq; eundem ipſum conſubſtantialem patri ſecundum diuinitatem, & conſubſtantialem nobis eundem ipſum ſecundũ humanitatem: paſſibilem carne, eundem ipſum impaſſibilẽ deitate. Vt enim eſt in diuinitate perfectus, ita idem ipſe & in humanitate perfectus eſt. In una enim ſubſtãtia deitatem ſuſcipimus & confitemur. Quod Græci dicunt ὁμοούσιον.

*Argumentatur copioſè contra illos, qui negabant bene decreta in ſynodis.*

*Homouſion, conſubſtantiale.*

Et quoniam unigenitus filius & uerbum Dei ante ſecula, & ſine tẽpore de patre natus, idem ipſe in ultimis diebus deſcendens de cœlis, incarnatus ex ſpiritu ſancto, & ſancta atq; glorioſa ſemper uirgine & Dei genitrice Maria, homo factus, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, propriè & uerè Deus eſt: ideo & ſanctam atq; glorioſam uirginem Mariam propriè & uerè Dei matrem eſſe dicimus. Non quia Deus Verbum principiũ ex ipſa ſumpſerit: ſed quia in ultimis dieb. deſcendit de cœlis, & ex ipſa incarnatus, & homo factus, & natus eſt. Quem confitemur & credimus, ſicut dictũ eſt, conſubſtantialem patri ſecundum deitatem, & conſubſtantia-

*Maria uirgo θεοτόκος, Deipara, ut ſynodus quinta poſt codicem editũ ſanxit. ſed hic Iuſtinianus præſagiuit ante 20. an.*

*Cur igitur toties repetis ô bone Iuſtiniane, cõtra tuas leges?*

lem nobis eundem ipſum ſecundũ humanitatem: eiuſdem miracula & paſſiones, quas ſponte carne ſuſtinuit, agnoſcentes.

Cõſtit. 131. perinde ut ſacras ſcripturas accipimus. At diſt. 15. ſicut quatuor Euangelia.

Suſcipimus autem ſancta quatuor concilia, id eſt, trecentorũ decem & octo ſanctorum patrum, qui in Nicæna urbe congregati ſunt: & centum quinquaginta ſanctorũ patrum, qui in hac regia urbe cõuenerũt: & ſanctorum patrũ, q̃ in Epheſo primò congregati ſunt: & ſanctorũ patrum, qui in Chalcedone conuenerunt: ſicut ueſtra Apoſtolica ſedes docet, atq; prædicat.

Primatus Papæ & eccleſiæ Rom. Id quod his epiſtolis quæritur: & Bonifacius poſt an. 70. impetrauit à Phoca, idq; magna contentione.

Omnes ergo ſacerdotes ſequentes doctrinã Apoſtolicæ ſedis ueſtræ, ita credunt, & confitentur, & prædicant. Vnde properauimus hoc ad notitiam deferre ueſtræ ſanctitatis, per Hypatium & Demetrium beatiſſimos epiſcopos: ut nec ueſtram ſanctitatẽ lateat, quæ à quibuſdam paucis monachis malè & Iudaicè ſecundũ Neſtorij perfidiam denegata ſunt.

Cataſtrophe fabulæ: ut Papa Rom. hanc fidẽ ſupplicantis Imperatoris confirmet.

Petimus ergo ueſtrum paternum affectum, ut ueſtras ad nos deſtinetis literas, & ad ſanctiſſimum huius almæ urbis epiſcopum & patriarcham fratrem ueſtrum. Quoniã & ipſe per eoſdem ſcripſit ad ueſtram ſanctitatẽ, feſtinans in omnibus † ſequi ſedem Apoſtolicam beatitudinis ueſtræ. Manifeſtum nobis faciatis, quòd omnes qui prædicta rectè confitẽtur, ſuſcipit ueſtra ſanctitas: & eorum qui Iudaicè auſi ſunt rectam denegare fidem, cõdemnat perfidiã. plus enim

† Sequi, unde ſectæ nomen, toties ponitur: ut neſcio cuius nouæ ſectæ ſuſpicionem moueat.

enim ita & circa uos omniũ amor, & ueſtræ ſedis creſcet authoritas: & quæ ad uos eſt unitas ſanctarum eccleſiarum, inturbata ſeruabitur. Quando per nos didicerint omnes beatiſsimi epiſcopi, eorum quæ ad uos relata ſunt, ſynceram ueſtræ ſanctitatis doctrinam. Petimus autem ueſtram beatitudinem orare pro nobis, & Dei nobis acquirere prouidentiã. Item ſubſcriptio: Deitas te conſeruet per multos annos, ſancte ac religioſiſsime pater.

*Vnitas eccleſiarum obtenditur & prætexitur in hoc ſcripto: quæ qualis eſſe debeat, iam exprimitur, nempe ad Papam.*

Liquet igitur, Imperator glorioſiſsime, ut lectionis tenor, & legatorum ueſtrorum relatio patefecit, uos apoſtolicis eruditionibus ſtudere: cum de religionis catholicæ fide ea ſapitis, ea ſcripſiſtis, ea protuliſtis, ea populis fidelibus publicaſtis, quæ, ſicut diximus, & ſedis apoſtolicæ doctrina, & ſanctorum patrum ueneranda decernit authoritas, & nos confirmamus in omnibus.

*Et hic tangitur regula iuris: ut Papa gubernet arbitratu ſuo catholicam fidem, & omnes eccleſias.*

Opportunũ eſt ergo uoce proclamare prophetica: Tibi abundet cœlum deſuper, & effundant montes iucunditatem, & colles lætitia lætabũtur. Hæc igitur in tabulis cordis fideliter ſcribere, hæc ut pupillas oculorũ conuenit obſeruare. Neq; enim quiſquam eſt, in quo Chriſti charitas feruet, qui tam rectæ, tam ueræ confeſsionis ueſtræ fidei refragator exiſtat. Cum euidenter impietatem Neſtorij, Eutychetiſq;, & omninm hæreticorũ damnantes, unã ueram catho-

*Vicit Papa, & regnat ac imperat, ſi dijs placet. Exultemus igitur & lætemur cum illo. Articuli fidei non pugnãt cũ ſymbolis. Miror autem, non poſitam remiſsionẽ peccatorum, eccleſiam ſanctam catholicã, &c.*

*De principatu Rom. Papæ amplius diſceptari oportet.*

catholicã fidem Domini & Dei noſtri ſaluatoris Ieſu Chriſti magiſterio inſtitutam, & propheticis apoſtolicisq́ꝫ prędicationib. ubiqꝫ diffuſam, & ſanctorum per totũ orbem confeſſionibus roboratam, patrũ atqꝫ doctorũ ſententijs adunatã, & * noſtræ doctrinæ conſentaneam inconcuſſè atqꝫ inuiolabiliter deuota Deo & pia mente ſeruatis.

** Noſtræ doct. emphaſim habet.*

*Nunc tonat, & coruſcat & fulminat pater beatiß. in ſuos aduerſarios.*

*Eſa. 28. 30. Sap. 3. in contemptores uerbi diuini dicta.*

*Hæc uidelicet Papæ congruũt, quia ita uult.*

Soli etenim profeſſionibus noſtris aduerſantur, de quib. diuina ſcriptura loquitur, dicẽs: Poſuerunt mendacium ſpem ſuam, & mẽdacio operiri ſperauerunt. Et iterum: Qui ſecundum prophetam dicunt Domino: Recede à nobis: Vias tuas ſcire nolumus. Propter quod Solomon dicit: Per ſemitas propriæ culturæ errauerunt: colligunt autem manibus in fructuoſa.

*Cur igitur his non cõtenti fuiſtis? cur perſequimini eos qui capita fidei hæc tenent?*

Hæc eſt igitur uera ueſtra fides: hæc certa religio. Hoc beatæ recordationis, ut diximus, patres omnes præſulesq́ꝫ Romanæ eccleſiæ, quos in omnibus ſequimur: hoc ſedes apoſtolica prędicauit hactenus, & inconcuſſè cuſtodiuit. huic confeſsioni, huic fidei quiſquis contradictor extiterit, alienum ſanè à communione, alienum ſeipſum ab Eccleſia iudicauit eſſe catholica.

*Simile quiddam factum eſt ſub Iuſtiniano ſecũdo, poſt annos 160.*

Nos enim Cyrum cũ ſequacibus ſuis in Romana inuenimus ciuitate, qui de Cumitenſi monaſterio fuit. Quos apoſtolicis ſuaſionibus ad rectam fidem, uelut oues quæ perierant, errantes, ad ouile contendimus reuocare Dominicũ.

Vt agnoſcant ſecundum prophetã linguæ balbutientes loqui, quæ ad pacem ſunt. Ad non credentes autem, per nos primus apoſtolorum Eſaiæ prophetæ uerbum dicit: Pergite in lumine ignis ueſtri, & flammæ quã accendiſtis. Sed obduratum eſt cor eorũ, ut ſcriptum eſt, ut nõ intelligerent paſtoris uocem. Oues quæ meæ non erant, audire minimè me uoluerunt.

*Eſaiæ oracula Papæ quadrãt, quoniã ita uult, & eſt ſummus interpres ſcripturæ. Alioqui nihil aduerſum.*

*Chriſtus dicit Ioan. 10. Oues meæ uocem meã audiunt, non alieni.*

In quibus obſeruantes ea quæ ab ipſorum ſunt ſtatuta pontifice, eos minimè in noſtra cõmunione recipimus, & ab omni Eccleſia catholica eſſe iuſsimus alienos: niſi errore damnato, doctrinam noſtram, quam totius ſequi, habita regulari profeſsione, ſignauerint. Aequum quippe eſt, ut qui noſtris minimè obedientiã accommodant ſtatutis, ab eccleſijs habeantur extorres.

*Vnitatis ad Papam explicatio.*

*Definitio hæretici, diuerſa prorſus ab ijs, quæ ſunt in legibus principum Chriſtianorum.*

Sed quia gremiũ ſuum nunquã redeuntibus claudit Eccleſia, obſecro clemẽtiam ueſtrã, ut ſi proprio depoſito errore, & praua intentione depulſa, ad unitatem Eccleſię reuerti uoluerint, in ueſtra cõmunione receptis, indignationis ueſtræ remoueatis aculeos, & nobis intercedentibus, benigni animi gratiam condonate.

*Quàm clementẽ habemus patrẽ & interceßorẽ? Accedamus igitur ad hũc thronum gratiæ.*

Deum autem & ſaluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum exoramus, quatenus longæuis & pacificis uos dignetur cuſtodire tẽporibus in hac uera religione, & unitate, & ueneratione Apoſtolicæ ſedis: cuius principatum, ut Chriſtianiſ-

*Heu priſca fides. Papa orat ut ſaluus ſit principatus Rom. Papæ & eccleſiæ.*

ſimi & pij, conſeruatis in omnibus.

Prȩterea ſereniſsime principũ, laudamus legatorũ ueſtrorũ pſonas, Hypatij & Demetrij, fratrũ noſtrorũ, & coepiſcoporũ noſtrorũ, quos clementiæ ueſtræ gratos fore, ipſa manifeſtauit electio. Nam tantæ cauſæ pondus nõ niſi perfectis in Chriſto potuiſſet iniũgi. Tantæ uerò pietatis, tantæ reuerentiæ plenos affatus, niſi peramantes, minimè dignaremini deſtinare.

*Tantæ molis erat Romanam extollere ſedem.*

Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, et charitas Dei patris, & communicatio ſancti ſpiritus, ſit ſemper uobiſcũ. Amen pijſsime fili. Item ſubſcriptio. Omnipotens Deus regnum ueſtrũ & ſalutem ueſtram perpetua protectione cuſtodiat, glorioſiſsime & clemẽtiſsime fili Imperator Auguſte.

*Tunc erunt imperatores ſalui, quum papæ Ro. ualedixerint.*

QVOD CONSTITVTIONEM HANC DIuus Iuſtinianus codici legum ſacratiß. non inſeruerit, non publicarit, ſcripſerit, dederit, conceſſerit, demonſtratio Theodori Bibliandri compendioſa.

SCriptum cõpoſitum ex epiſtola Imperatoris Iuſtiniani, & Ioannis Papæ Rom. haud obſcurè petit ſedis Romanæ gloriam, honorem, uenerationem, amplitudinem, exaltationem & ſtabilitionem. Huic autem intentioni color acquiſitus illinitur, & ueluti palliũ obtenditur, unitas eccleſiarum. Eſt enim ſpecioſum pacis nomen, & pulchra unitatis opinio, ut ait Hilarius. Ideo titulus ille & prætextus unitatis accommodiſsimus eſt ad homines decipiendos, & ſæpe à planis & impoſtoribus uſurpari ſolet. quemadmodum Ariani ſpecie unitatis eccleſiarum deceperunt Conſtantium Cæſarem, & alios principes, ac ſuum dogma inſinuarunt: Atha-

*Pacis, unitatis et concordiæ prætextus.*



naſium

naſium uerò, & Hilarium, & alios catholicæ fidei tenaces grauarunt inuidia & odio, ceu aduerſarios pacis publicæ, & unitatis Chriſtianæ. Vnitas autem eccleſiarum refert̃ ad Papã: ut omnes eccleſię, epiſcopi, ſacerdotes, monachi, uulgaresq; homines teneãt eam fidem & doctrinam, quam tenet, probat, tradit Papa cum eccleſia ſua Romana. Itaq; orthodoxi & catholici Chriſtiani declarantur eſſe, qui audiunt uocem iſtius paſtoris uniuerſalis, & ei per omnia obediũt. Extorres autem & alieni ab omni eccleſia, & hæretici pronunciantur, qui non accommodant obedientiam omnibus ſtatutis Papæ & ſedis Rom. Proinde neceſſariò ad Papam referenda ſunt, quæcunq; ad ſtatum eccleſiarum pertinẽt. Non ut dũtaxat reſciſcat, quemadmodum amicus amicum certiorem facit de rebus nouis: ſed ut cognoſcat tanquam ſummus & legitimus arbiter ac iudex, de iis quę referuntur ad eũ, aliaq; probet, alia improbet: ac ſententiæ illius ſtent nõ modò priuati Chriſtiani, ſed etiam epiſcopi & imperatores, cæteriq; principes. Quemadmodũ in præſenti negotio hæreſim dãnare, & confeſsionẽ fidei, quam Iuſtinianus edidit, approbare debuit, ut omnes iudiciũ ſedis Apoſtolicæ et Papę Rom. ſequantur. Sua ſponte igitur conſequitur, ut Rom. ſedes obtineat principatũ, ſiue primatũ, & principalitatẽ in omnes eccleſias & politias. Cui neceſſariò adnectit̃ correlatiuum, ut omnes eccleſiæ, & quæcunque ad ſtatum earum ſpectant, Papæ & ipſius eccleſiæ Rom. ſubiecta ſint. Et quid ſibi uelit primatus & maioritas, docet canon, Quamuis, diſt. 21. Quanto celſior gradus, tanto maior authoritas inuenitur. In maioribus ſiquidem eſt regendi & iubendi poteſtas: in minoribus obſequẽdi neceſsitas. Imponitur huic fundamento & extructioni maximæ, faſtigium quoq; ualde competẽs: ut Papa ſit caput omniũ ſanctarum eccleſiarum, & eccleſia Rom. ſit caput omniũ uerè eccleſiarum.

*Vnitas eccleſiarum ad Papam Rom.*

*Catholici & orthodoxi.*

*Hæretici.*

*Omnia referri oportet ad Papam, ut ſupremum iudicem.*

*Principatus & primatus eccleſiæ & Papæ Rom. cui omnes ſubiecti ſint.*

*Caput eccleſiarum nouum præter Chriſtum.*

rum. Et caput eccleſiæ quid & quantum capiat, docet Bonifacius octauus in Extrauagante ſua decretali, de maioritate & obedientia: nempe duo gladij ſunt in manu iſtius capitis, eccleſiaſtica & ſpiritualis poteſtas, & ſecularis ac politica poteſtas: hoc eſt, ut uerbis ipſorum explicem, plena, ſumma, infinita, immenſaq; poteſtas, & ius gubernandi eccleſias, & imperium Rom. & omnia regna, ciuitates, ac politias nominis Chriſtiani pro ſuo arbitratu. Hæc uerò nō ſolus Iuſtinianus conceſsit & attribuit, ſed etiam ſtatuta principum ſuperiorum: uelut pagina Conſtantini, & regulæ patrum, ut in concilijs Lateranis: deniq; ipſe Chriſtus rex regū, qui dixit Petro primo apoſtolo, & primo Papæ Rom. Paſce oues meas: hoc eſt, ſis dominus totius orbis. Quia Chriſto data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra: et eandem reſignauit ſuo uicario Papæ Romano.

*Summa & plena poteſtas Papæ.*

Et hanc eſſe ſcripti huius telam ſubtiliſsimā, nec me ſophiſticè aut ſycophanticè interpretari, iudicio lectoris cordati permitto. Addita ſunt etiam dogmata uera, explorata, certa, cōfeſſa Chriſtianæ fidei. quod eſt artificium ueteratorium & ſophiſticum, ut mendacijs uera miſceantur. Nam per ſe infirmum eſt mendacium, & nequit conſiſtere. Ideo ueris pronūciatis, aut quæ ueri ſpeciem habent, qui decipere conantur, mendacia ſua fulciunt. Quemadmodum diuus Hieronymus ait, cap. 23. Hierem. Semper imitatur mendaciū ueritatem: & niſi habuerit aliquam ſimilitudinem recti, decipere non poteſt innocentes. Quemadmodum & Sinon ille in Virgiliano poemate, non pauca uera dicit Troianis, ut eis perſuadeat Græcos abijſſe in patriam, relicto equo ligneo, in quo latitarunt hoſtes, qui urbem ſecuram cæperunt, & perdiderunt. Et hoc eſt afferre gladium melle oblitum.

*Vera falſis admiſcere.*

Quam decipulam & modum fallendi, ſophiſticum Ariſtoteles uocat, plures quæſtiones iungere, ac uelut unam

*Fallacia ſophiſtica.*

unam obijcere. Si enim uera & falſa commixta ſine diſcrimine & ſine diſtinctiõe ſimul amplectaris, neceſſariò falſum admittes: aut ſi una ſimplici reſponſione ad interrogata reſpondeas, falſum dicere oportet. ut ſi quis interroget, utrum uera ſint an falſa, quæ in Alcorano Mahumedis continentur: ſi reſpondeas, uera eſſe omnia, mendacium loqueris, quia plurima falſa continet. Ac rurſum, ſi falſa eſſe omnia dicas, mendacium loqueris, quia uera quædam continet. Tale ſophiſticum texum eſt hæc conſtitutio ficta Iuſtiniani, & Donatio Conſtantini. Articuli enim fidei catholicæ & poteſtatis plenæ, quæ Papę & eccleſiæ Rom. competat, iungũtur ſophiſtico artificio. Nam qui negaret ſimpliciter ueras eſſe illas conſtitutiones, negaret fidei articulos, & teneretur hæreſeos: qui ſimpliciter eſſe ueras concederet, Papam agnoſceret caput eccleſiarũ omnium, eicꝫ omnia ſubiecta eſſe.

Quo inconuenienti conceſſo, ſequitur, ut Papæ liceat quicquid libet. Vnde ex iſto capite Romano in eccleſiam, & imperium, & in uniuerſos populos Chriſtianos promanauit omne genus malorum. Itaqꝫ ſub titulo ſupremo iuris diuini & humani, malus iſte ſubiecit inuolucrum ſophiſticum & hypocriticum: quale deſcribit diuinus Eſaias cap. 59. Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem. Oua aſpidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt. Qui comederit de ouis eorum, morietur: & quod confotum eſt, erumpet in regulum. Telæ eorum non erunt in ueſtimentum, neqꝫ operientur operibus ſuis. Opera eorum inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum. Pedes eorum ad malum currũt, & feſtinant, ut effundant ſanguinem innocentem. Propter hoc elongatum eſt iudicium à nobis, & non apprehendit nos iuſtitia. Et reliqua.

*Vno impertinente conceſſo, ſequũtur multa inconuenientia & abſurda.*

*Eſaiæ oraculum de ſophiſticis et hypocriticis ſutelis.*

Sed operæprecium eſt audire, quid Marſilius Patauinus uiderit in hoc inuolucro ſophiſtico latêre. Nam ille

*Marſilij Patauini iudiciũ de plena poteſtate Rom. Papæ.*

ille uir ſapiens, & bonus, & non minus iuſtitiæ ac religionis Chriſtianæ obſeruans, quàm iuris & philoſophiæ peritus, ſcripſit opus eruditum, de poteſtate, iure ac officio Imperatoris, & ciuilium magiſtratuum, nec nō Papæ Rom. & omnium antiſtitum ac miniſtrorum eccleſiæ: cui titulum fecit, Defenſor pacis. Edidit autē in publicū eo tempore, quo Ioannes XXII. Papa, & Ludeuicus quartus Imperator, contenderunt inter ſe armis & excommunicationibus, ut qui maximè. Cauſam quidem ille diſsidiorum & uniuerſæ deprauationis tum in eccleſia, tum in politijs Chriſtianis oſtendit, plenitudinem poteſtatis, quam conceſſam aſſerūt per Chriſtum beato Petro, eiusq́; ſucceſſoribus in Romana epiſcopali ſede, tanquam Chriſti uicarijs. Cuius tituli apud Rom. epiſcopos hunc eſſe ſenſū indicat, quod ſicut Chriſtus plenitudinem poteſtatis & iurisdictionis habuit ſupra reges omnes, principes, communitates, collegia, & ſingulares perſonas: ſic & ipſi qui Chriſti & beati Petri ſe dicunt uicarios, hanc habeant plenitudinē, coactiuæ iurisdictionis humana lege nulla determinatā. Hanc oſtendit peſtem quietis humanæ, & omnis felicitatis. Et iā omnes Chriſtianos hortatur, ut incūbant toto pectore ad eam tollendā: cap. 19. primæ partis, & in proœmio. Ac enumeratis effectibus noxijs, quos ꝓduxit Papæ Rom. plena iſta poteſtas, cap. 6. partis ſecundæ ſpem aperit bonam, ac præſagit, quomodo hydra hæc è medio eccleſiæ & imperij aliquando ſubmouebitur.

*Cauſæ diſcordiæ in Rom. imperio & alijs politijs atq; eccleſijs.*

*Principatus & plena poteſtas quid.*

Comparat autem non inſcitè curiam Romanam ſtatuæ portentoſæ, quam Nabuchodonoſor uidit in ſomnis: ut Dan. 2. cap. legimus. Et de occaſu eius ita loquit̄: Verùm eodem teſtāte propheta, ſuper hanc ſtatuā caſurus eſt lapis ſine manibus abſciſſus de mōte: id eſt, rex quem de hominum uniuerſitate per ſuam gratiam electum ſuſcitabit Deus, illi conferendo poteſtatē, &

*Vt Otho Friſingenſis imperium Rom. confert ſimulachro, quod uidit Nabuch. ita Marſilius curiam Papæ.*

cuius regnum alteri non tradetur. Hic inquam magis uirtute ſiue gratia trinitatis, quàm opere ſeu poteſtate hominum, huius terribilis & horribilis ac monſtroſæ ſtatuæ primùm conteret atq; comminuet teſteam partem, pedum uidelicet, quibus inconueniēter innititur: falſas ſcilicet ac iniquas cauſas, & occaſiones caluas uerius dixero cum poeta, omnibus populis & principibus ipſarum reſerato ſophiſmate, & humanis demonſtrationibus impugnato, & ſcripturæ ſacræ ueritatibus annullato innoteſcere faciendo. Deinde uerò ferrum ipſius, ſcilicet atrocem & impiam poteſtatem arcendo. Aes autem conſequenter, id eſt, maledicendi, quam ſibi præſumpſit in principes & populos, authoritatē: ſecularium quoq; iurisdictionum uſurpatarum, & proinde cauſarum & uexationum tumultum ſilere ac obmuteſcere faciet: luxus quoq; uoluptatum, & pompas uanitatum ceſſare. Demum uerò argentum & aurum, id eſt auaritiam & rapinam Romani pontificis, & ſuperiorum membrorum curiæ Romanæ compeſcet: temporalium quoq; uſum moderamine debito ſibi concedet. Sicq; pariter ſecundū prophetam conterentur ferrum, teſta, argentum & aurum: omnia ſcilicet ſupradictæ curiæ uitia & exceſſus extinguentur, quaſi redacta in fauillam æſtiuæ areæ, quæ rapta ſunt uento. Quod enim tam contra naturam, legem humanā atq; diuinā, & omnem rationem eſt, diu permanere non poteſt. Hæc ille, iuris diuini & humani conſultiſsimus uir.

*Rex tollet poteſtatem Papæ noxiā & iniuſtā, & intolerandā.*

*Eutaxia & ordo eccleſiæ Rō.*

*Impia & atrox poteſtas Rom. Maledicētia, ut Petrus prædixit.*

*Degradatio.*

*Oraculū de ruina Papatus.*

Quem autē intelligamus regem, qui uirtute & gratia trinitatis magis, quàm uirtute & opere hominum, peſſundabit ſtatuam papiſticæ dominationis, & impedimentum ciuilis pariter & eccleſiaſticæ gubernationis? De Chriſti aduentu glorioſo non loquitur, qui iudicio ultimo abolebit omnem tyrannidem. Nec de nouo aliquo rege loqui uidetur Germanorum aut Francorum, aut alterius gentis, qui regnum ſempiternum teneat

*Rex qui nam Papatū euertet.*

neat in hiſce terris. Sed de quodã loquitur mortuo, &
reſuſcitando. Quod non aliter accipiendum eſſe iudi-
co, quàm ut ſacræ literæ pollicẽtur, Eliam prophetam,
& Ioannem Euangeliſtam, qui poſt defectionem à fi-
de catholica nouiſſimo ſeculo inſtaurent antiquam re
ligionẽ. Hoc eſt, homines præditos ſpiritu ſancto, qui
fuit in Elia & Ioanne, prædicaturos diuinum uerbum:
per quod conuertatur bona pars mortaliũ ad priſtinã
religionem, & ueri Dei legitimum cultum. Ita Iuſti
nianus ſuſcitatus, infringet exitioſam iſtã Papæ Rom.
poteſtatem. Vbi enim politici magiſtratus exemplo di
ui Iuſtiniani remp. bonis legib. gubernabunt, & fidem
catholicã legitimè uindicabunt, ſicuti leges tres ſub ti
tulo De ſumma trinitate præcipiunt: citò euaneſcet Pa
pę Rom. religio nouitia, & immoderata poteſtas, qua
opprimit innocentes & pios Chriſtianos: quia nõ qui-
buslibet ipſius edictis obediunt.

*Elias, Ioannes, Enoch, & alij contra Antichriſtum pugnaturi, & pugnantes.*

*Iuſtinianus uindex libertatis et iuris, eccleſiæ Chriſti & imperij.*

*Argumẽta, quòd conſtitutio iſta ſit ficta.*

Vt igitur ad hoc negotiũ reuelãdi ſophiſticas & papi
ſticas fraudes meum quoq; ſymbolũ conferam, locos
& uelut ſedes argumentorum indicabo ſtrictim, in qui
bus ſingulis probationes plures continentur. Ac
Locus 1. primò quidẽ ex orthographia, & ſcriptura, & exem-
plaribus liquet, inſtrumentum eſſe non probatæ fidei:
quia in libris integrioribus non reperitur, nec habet in-
dicationẽ loci & temporis, ut conſtit. 47. poſtulat. Vn-
de iuriſconſulti quoq; reijciunt ueluti paleam. Se
2 cundò, ſtylus nec Iuſtiniani eſt, nec illius temporis: ſed
poſterioris, quo barbarorum incurſiones bonas literas
3 in Italia peſſum dederunt. Tertiò, repugnat chrono
4 logia, & exacta ratio temporum. Quartò, ipſæ res
omnino reclamant. Nam tale ius & talem poteſtatem
nullus imperator uel Græcus uel Rom. cõceſsit Papæ,
nec ullus epiſcopus Rom. uſurpauit, uſq; ad Gregoriũ
tertium, qui ſeditioſè & tyrannicè imperatori Conſtan
tinopolitano iuriſdictionem in Italia extorſit, iniuſtis
& im-

& impijs excommunicationibus & armis. Quintò, 5
Iuſtinianus, aut quiuis alius Imperator, non potuit, nec
debuit talia concedere Papæ Rom. Sextò, Iuſtinia- 6
nus noluit. Septimò, Iuſtinianum haudquaquam 7
feciſſe, patet ex multis legibus contrarijs, uel illis quæ
ſunt ſub eodem titulo de ſumma trinitate, item de hære
ticis. Octauò, ex differentibus patet. Nam ſi ullus 8
Iuſtinianus aut Ioannes eiuſmodi res ſimul tractarunt,
& non eſt merum figmentum, Iuſtinianus ſecundus, &
Ioannes ſeptimus, poſt annos CLX hæc egerũt. No 9
nò, ex ſimilibus & comparatis, uelut ex pagina uel pa-
lea Conſtantini, quæ eſt eiuſdem planè argumenti, ac
ueluti paraphraſis huius cõmentitij ſcripti, ex Stepha-
ni ſecundi commẽto, & alijs Papiſticis figmentis ap-
paret, fundamentum hoc nouitiæ religionis, & noui iu
ris pontificij, & nouæ monarchię Papiſticę omnino ſo
phiſticum eſſe. Poſtremò coniecturæ nõ obſcurę, 10. *Papa Rom.*
nec leues extant, quòd Gregorius tertius Papa Rom. *Greg. 3 finxit.*
ſit architectus huius pallij & paludamẽti, & parens o-
ui huius cuculini, quod fœtura perpetua edit ἱέρακας &
cuculos uerſipelles: qui pro tempore in aquilas & acci
pitres ſeſe uertunt, ut ſacra & prophana omnia ſibi ra-
piant & conſpurcent. Is enim nouus Melchiſedek, uel
potius Vertumnus & Proteus, ingreſſus eſt in ſanctiſſi
mum templum iuſtitiæ & ſapientiæ, quod diuus Iuſti-
nianus cõſtruxit, & ſub titulo ſummæ trinitatis fideiq́;
catholicæ, ſubiecit ouum hoc cuculinũ. Ex quo Væio
ues Capitolini ſempiterna fœtura iam naſcuntur: qui
ſunt ſuper omnes epiſcopos & reges, & ſunt omnia,
habentq́; in ſcrinio ſui pectoris leges omnia' que iura
incluſa. Quod factum quale'nam ſit, quo'ue nomine &
titulo indigitandum, conſecrandum, perpetuæ memo
riæ tradendũ, qua perſequendum actione, qua pœna
ſanciendum, quantumq́; fidei mereantur taliũ legum
ſanctores, theologis & iuriſconſultis & principibus

Chriſtianis permitto cribrandum & uentilandum.

## AD CONSTITVTIONEM FICTAM CONſtantini *Maximi, explicatio circumſtantiarum.*

Quum in libro primo auctarij uice quaternioni legum ſanctiſsimarum adiecerim diui Iuſtiniani conſtitutionem de myſterijs fidei catholicæ, par eſt, ut eadem liberalitate admetiar Pontificijs decretalibus donationem Conſtantini: quæ myſteria Papiſticæ fidei continet, ac ueluti fundamentum ſuſtinet eccleſiam Rom. In hanc enim conſtitutionem ſacroſanctam Papæ Ro. iuramentis obſtringunt Imperatores, ut Eugenius Sigiſmundum: ſibi'que cum toto imperio faciunt obnoxios. Aggrediamur igitur principe noſtro Ieſu Chriſto freti, & diuinis promiſsis, hanc etiam molem terrificam gigantum Babylonicorũ. Quæ niſi è medio eccleſiæ & politiæ Chriſtianæ ſubmota fuerit, non pax, non reformatio, non ſalus ſperari poteſt.

Ac bonam quidem operam iam olim in confutanda iſta ficta pagina multi uiri docti nauarunt, Petrus de Vineis, Durãtes, Marſilius Patauinus, Nicolaus de Cuſa Cardinalis, Pius ſecundus Papa, iuriſcontultiſs. Panormitanus, Laurẽtius Valla, Hieronymus Cattalanus, & alij. Quia uerò Papiſtici etiamnum eã defendunt publicis ſcriptis, ut ſuperioribus annis fecit Auguſtinus Steuchus, & oſtendunt adhuc baptiſterium Conſtantini, & catacumbam, in qua confeſsionem Sylueſtro & Petro edidit: non ſuperuacua erit etiã opera illorum, qui denuò figmentum ſophiſticum & papiſticũ in lucem clariorem proferunt.

*Conſtantinus quis.*

Fuit aũt Fl. Conſtantinus ex Chriſtianis parentibus natus, ab incunabulis in fide Chriſtiana inſtitutus, ut Nicephorus Conſtãtinopolitanus monachus in hiſtoria ſua eccleſiaſtica teſtatur. Qui antequam Sylueſter eſſet Papa, cum Miltiade Pontifice Rom. per literas egit de rebus Chriſtianis, & in cauſa Ceciliani Carthaginenſis.

nenſis epiſcopi, quem Donatiſtæ uexabant, ſapienter ac piè iudicauit. Victo autem Maxentio tyranno, Romam Chriſto cōſecrauit: itemq́ꝫ poſtea Byzātium, ſiue Cōſtantinopolim. Donauit autem eccleſiæ Rom. ſicut & alijs eccleſijs, non pauca, ut ſacerdotes liberius diuinæ rei uacarent, ſicut ſcriptum eſt ad Annelynum Africæ præſidem, & alia teſtantur. Minimè uerò imperium occidentis, aut Italiam, aut Romam donauit: ut certa hiſtoria, & leges Conſtantini in codice Iuſtinianeo prolixè cōuincunt. De Sylueſtro Pontifice, quod uirtutes apoſtolicas adtinet, pauca memorat Platina. & de Conſtantini donationib. locutus nōnulla, quæ in hac pagina cōtinētur, adijcit: Proinde reticere donaria templo dedicata inſtitui, ne uidear cum alijs errare. *Sylueſter Papa.*

Cæterùm magnifica donatio ponit̃ in Decreto Gratiani, diſtinc. 96. quanquā nō in omnib. exēplaribus. Et habet appoſitā notā deteriorē, paleam: quæ ſignificat, eam non legi in ſcholis, nec habere intus bonā frugem. *Palea quid.*

Gelaſius quidē Papa, non ille primus, qui circa tempora Iuſtiniani fuit, ſed alius, qui Gratiani ſeculo fuit, frigidè admodum hanc paleam tuetur, ne diſijciatur à ſpiritu Domini. ſic enim ſcribit diſt. 15. Sancta Rom. eccleſia poſt illas ueteris teſtamenti & noui ſcripturas, quas regulariter ſuſcipimus, etiam has ſuſcipi non prohibet. Ac enumeratis multis, addit: Actus beati Sylueſtri, Apoſtolicæ ſedis præſulis (licet eius qui ſcripſit, nomen ignoremus) à multis tamen in urbe Romana catholicis legi cognouimus, & pro antiquo uſu multæ hoc imitātur eccleſiæ. De quo Nicolaus Cuſanus: Rogo, inquit, uideatur approbatio illa, & inuenietur pauci roboris: quia dicit authorem ignorari. Quoniam abſq́ꝫ dubio, ſi nō fuiſſet illud dictamen apocryphum, Gratianus in ueteribus codicibus & canonū collectionibus inueniſſet: & quia non inuenit, non poſuit. Vnde quæ poſtea addidit, pro palea ita illam confictā ſcri- *Gelaſij frigidiſſima approbatio.* *Nic. Cuſani cardinalis iudicium de pagina Conſtantini.*

pturam poſuit: ſicut multa alia inueniuntur ex apocryphis, libris noſtris inſcripta. Ego etiã ad longũ hãc ſcripturam in quodam libro inueni, quæ multo plus continet, quàm ea quæ in decreto ponitur, loco prędallegato. Et diligenter eam examinans, reperi ex ipſamet ſcriptura, argumenta manifeſta confictionis & falſitatis.

*O ſolidã petrã, ſuper quam fundata eſt curia Rom.*

Hæc uir optimus & doctiſsimus, Nicolaus de Cuſa Cardinalis. Proinde animis iam utcũq; ad religionem præparatis, accedamus ad inſpiciendum arcam teſtamenti Romani, & theſauros Eccleſię Rom. ditiſſimos. Recitabo autem oraculare diploma ex editione Steuchi epiſcopi, & magiſtri ſacri palatij: addita etiam diuerſa interpretatione Bartholomæi Picerni, & cum ſcholijs marginalibus. Accedere quidem conuenit nudis pedibus, ut Moſes ad rubum ardentem in deſerto Sinai aduocatus eſt: quia in Græcis literis non dicitur priuilegiũ, uel pagina, uel palea, ſed διάταξις, cõſtitutio, edictum, ordinatio, conceſsio Conſtantini, & θέσπισμα, oraculum atq; diuinum reſponſum. Et hunc in modum orditur.

*Titulus non modo mentitur, ſed etiã iniuria atroci afficit Chriſtianos imperatores, qui ante Conſtantinum fuerunt, Conſtãtium, Philippũ, & eius filium.*

DECRETVM IMPERIALE, SCRIPTVM, ACTVM, *conceſſum ſacroſanctæ & catholicæ apoſtolicæq; Eccleſiæ Rom. à beato Conſtantino, qui primus omniũ Imperatorũ fuit Chriſtianus.*

Picernus ita:

EDICTVM IMP. SCRIPTVM ET DATVM SACRAE *& ſanctæ cath. & apoſt. Rom. eccleſiæ à beato Conſt. primo inter Imperatores Chriſtiano.*

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ trinitatis, patris ſcilicet, & filij, & ſpiritus ſancti.

*Quis metuat ſub hoc nomine ſacroſancto aliquid fraudis?*

Imperator Cęſar Flau. Cõſtantinus in Chriſto Ieſu, uno ex eadem ſancta trinitate, ſaluatore domino Deo noſtro: fidelis, manſuetus, maximus, beneficus, Alamanicus, Gothicus, Sarmaticus, Germanicus, Britannicus, Hũnicus: pius, felix, uictor, ac triumphator, ſemper Auguſtus, Sanctiſsimo ac beatiſsimo patri patrum Syluestro,

*Pater patrũ, ut rex Perſarũ, rex regum.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-765435-p0134-5
DFG

Syluestro, urbis Romæ (*alibi, magno urbis Rom. epiſcopo & Papæ*) atque omnibus reuerendiſsimis & Deo amabilibus catholicis epiſcopis, eidem ſacroſanctæ Rom. Eccleſiæ per hanc noſtram imperialem conſtitutionem ſubiectis, in uniuerſo orbe terrarũ, nũc & in poſterum cunctis retro temporibus conſtitutis: Gratia, pax, charitas, gaudium, longanimitas, miſericordia à Deo patre omnipotente, & Ieſu Chriſto filio eius, & ſpiritu ſancto, cum omnibus uobis.

Ea quæ ſaluator & redemptor noſter Dominus noſter Ieſus Chriſtus, altiſsimi patris filius, per ſuos ſanctos Apoſtolos Petrum & Paulum, interueniente patre noſtro Syluestro ſũmo põtifice (*& uniuerſali Papa*) mirabiliter dignatus eſt (*facere*) liquida narratiõe per huius noſtræ imperialis inſtitutiõis (*potius cõſtitutionis*, διατάξεως: *alibi, ſcriptionis*) paginam ad indaginem omnium populorum, in uniuerſo orbe terrarum noſtra ſtuduit propagare manſuetiſsima ſerenitas.

Primùm quidem fidem noſtrã, quam à præfato beatiſsimo patre & oratore noſtro (*interceſſore*, δὐχετοῦ) Syluestro uniuerſali pontifice edocti ſumus, intima cordis confeſsione ad inſtruendos omnium ueſtrûm mentes proferentes, & ita demum miſericordiã Dei ſuper nos diffuſam annunciantes. Nos enim uos ſcire uolumus, ſicut per anteriorem noſtram ſacram pragmaticam iuſsionem ſignificauimus, nos à culturis idolorum, ſimulacris mutis, & ſurdis, manufactis, diabolicis compoſitionibus, atq; omnibus ſatanæ pompis receſsiſſe: & ad integrã Chriſtianorum fidem, quæ eſt uera lux & uita perpetua, perueniſſe. Credentes iuxta id, quod nos idẽ almificus (*mirificus*) ſũmus pater & doctor noſter Syluester inſtruit (*admonuit*) pontifex,

In Deum patrem omnipotentẽ, factorẽ cœli & terræ, uiſibilium omniũ & inuiſibilium. Et in Ieſum Chri-

*Igitur antea non fuerunt ſubiecti. Atqui Petro apoſtolo fuerunt antè ſubiecti, per uocem Chriſti, ut Canones blaterant.*

*Imitatur iſte ſimius edicta Nabuchod. & Daryj in Daniele, ſicut & Stephanus 2 Papa.*

*Sũmus põt. Vniuerſ. Papa: quæ, ut prophana, poſt annos 300 abominatus eſt Gregorius.*

*Atqui Conſtãt. à parẽtib. didicit fidẽ Chriſtianã.*

*Interceſſor, ut in Iuſtiniana conſtit.*

*Nunquam fuit Conſtantinus cultor ſimulachrorũ: quæ poeta iſte damnat, & poſtea imagines probat.*

*Papa ſũmus pater & doctor. Cõtrà Chriſtus: Nolite uobis uocare patres & magiſtros ſuper terram.*

ſtum filiū eius unicum, dominū noſtrū, per quē omnia facta ſunt. Et in ſpiritum ſanctum dominum, & uiuificatorem uniuerſæ creaturæ.

Hoc eſt, patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum confitemur: ita ut in trinitate perfecta, & plenitudo ſit diuinitatis, & unitas poteſtatis. Pater Deus, filius Deus, & ſpiritus ſanctus Deus (*& hi tres unum ſunt, tres itaq; perſonæ*) & tres unū ſunt in Chriſto Ieſu. Tres itaq; [a] formæ, ſed una poteſtas. Nā Deus ſemper ſapiens, edidit ex ſe, per quod [b] gignēda eſſent ſecula, Verbum. (*Mirum profectò, quod Conſtantinus uerſus heroicos fundit, quos Aur. Prudentius poſt annos* XC *poſuit in Apotheoſi: Nam ſapiens retro ſemper Deus edidit ex ſe, Per quod ſemper erat gignenda ad ſecula, uerbum*). Et quando eodem ſolo ſuæ ſapientiæ uerbo uniuerſam ex nihilo formauit creaturam, cum eo erat, cuncta ſuo arcano componens myſterio.

Igitur perfectis cœlorū uirtutibus, & uniuerſis terræ materijs, pio ſapientiæ ſuæ nutu ad imaginem & ſimilitudinem ſuam primùm de limo terræ fingens hominem, hunc in paradiſo poſuit uoluptatis. Quem antiquus ſerpens & hoſtis inuidēs diabolus, per amariſs. ligni uetiti guſtum, exulem ab eiſdem effecit gaudijs: eoq; expulſo, nō deſinit ſua uenenoſa multis modis [c] ꝓtelare iacula. Vt à uia ueritatis humanum abſtrahens genus, idolorum culturæ, uidelicet creaturæ & non creatori deſeruire ſuadeat: quatinus per hoc eos, quos ſuis ualuerit irretire inſidijs, ſecum æterno afficiat concremandos ſupplicio.

Sed Deus noſter miſertus plaſmę ſuę, dirigēs ſanctos ſuos prophetas, per quos lumen futuræ uitæ, aduentū uidelicet filij ſui Domini Dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti annuncians, miſit eundem filium ſuum unigenitum, & ſapientiæ Verbum. Qui deſcendens de cœlis propter noſtrā ſalutem, natus [d] de ſpiritu ſancto, ex Maria uirgine, Verbum caro factum eſt, & habitauit in

*Vt Nicæna ſynodus ſecunda primæ ſynodi Nicænæ & Conſtātinop. recitat ſymbolum.*

*Trinitatis expoſitio. quis nō miretur Conſtantinum ita ſubitò factū theologum?*

*a Forma, ἰδέα, pro hypoſtaſi et pſona, theologi tēporib. Cōſtāt. non dixerunt.*

*Verſus Prudentij.*

*b Alibi, erant gignēda ſecula.*

*Hominis creatio, indoles perfecta, lapſus, reparatio per Chriſtum.*

*Quis hic metueret antiqui hoſtis aſtutias, ſub honeſtæ rei occaſione?*

*c Protelare, nō latinū uerbū hoc loco, nec iſtius ſeculi.*

*Plaſmæ pro πλάσματος, opificij, aut figmēti.*

*d De et ex præpoſitionum uim obſeruat, ut Auguſtinus docuit.*

in nobis. Non amiſit, quod fuerat: ſed cœpit eſſe, quod non erat. Deus perfectus, & homo perfectus: ut Deus mirabilia perficiens, & ut homo humanas paſsiones ſuſtinens. Ita uerum (*uerbum*, λόγον) hominẽ, & uerũ Deum, uerum hominem fuiſſe nullo modo ambigamus.

Electiſq; XII Apoſtolis, miraculis coram eis & innumerabilis populi multitudine coruſcauit. Confitemur eundẽ Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum & impleſſe legem, & prophetas: paſſum, crucifixum ſecũdũ ſcripturas: Tertia die à mortuis reſurrexiſſe: Aſſumptumq; in cœlos, atq; ſedẽtem ad dexteram patris, inde uenturum iudicare uiuos & mortuos: Cuius imperij non erit finis. Hæc eſt enim fides noſtra orthodoxa, à beatiſsimo patre noſtro Sylueſtro, ſummo pontifice, nobis prolata.

*Oeconomia, ſiue diſpenſatio, et res incarnati filij Dei.*

*Quoties falſò dicit, Conſtantinum didiciße fidẽ à Sylueſtro?*

Exhortantes idcirco omnem populum, & diuerſas gẽtium nationes, hanc fidem tenere, colere, ac prædicare, & in ſanctæ trinitatis nomine baptiſmi gratiam conſequi, & dominũ Ieſum Chriſtum ſaluatorẽ noſtrum, qui cum patre & ſpiritu ſancto, per infinita uiuit & regnat ſecula: quem Syluester beatiſs. noſter Pontifex (*uniuerſalis*) in uniuerſali prædicat, corde deuoto adorare.

*Atqui Papæ non ferunt Chriſtianos ſimplices, qui hanc fidem colunt.*

[a] Ipſe enim Dominus Deus noſter, miſertus mihi peccatori, miſit ſanctos ſuos Apoſtolos ad uiſitandũ nos, & lumen ſui ſplendoris infulſit nobis. Et abſtractum à tenebris ad ueram lucem & agnitionẽ ueritatis me peruenire gratulamini. (*Picer. Et tenebras abſtrahens, ad ueritatis cognitionem me peruenire dignatus eſt.*)

*a A' bobus ad aſinos: à ſymbolo fidei, ad fabulas deſilit poetaſter ille.*

[b] Nam dum ualida ſqualoris lepra totam mei corporis iuuaſiſſet carnẽ, & multorũ medicorũ conuenientiũ cura adhiberetur, nec unius quidẽ promerui ſalutem.

*b Ludit cũ hiſtoria Naaman Syri, per Eliſeũ purgati. 4. Reg. 6. De his 1 lib. hiſtoriæ tripartitæ, 6 cap. Mihi hæc ficta eſſe uidentur ab ijs, qui ſtudent religioni Chriſtianæ detrahere.*

Adhæc aduenerunt ſacerdotes Capitolij, dicentes, mihi debere fieri fontem in Capitolio, & compleri hũc innocentium ſanguine calente: & in eo loco me poſſe mundari. Et ſecundum eorum dicta aggregatis plurimis

mis innocentibus infantibus, dum uellent ſacrilegi paganorum ſacerdotes eos mactare, & ex eorum ſanguine fontem repleri: cernens noſtra ſerenitas lachrymas matrũ earum, ilicò exhorrui facinus (*Paulo aliter Picern.*) miſertusq́ʒ eis, proprios illis reſtitui præcepimus filios ſuos: datisq́ʒ uehiculis, & donis conceſsis, gaudẽtes ad propria relaxauimus.

*Vbi multa ſomnia, multa uanitas. Eccleſ. 5. Cæterùm qui habet ſomnium, narret ut ſomnium. Ierem. 23.*

Eadem igitur tranſacta die, nocturno nobis facto ſilentio, dum ſomni tempus aduenisſet, adſunt Apoſtoli ſanctus Petrus & Paulus, dicentes mihi: Quoniã flagitijs poſuiſti terminũ, & effuſionẽ ſanguinis innocentis horruiſti,[a] miſsi ſumus à Chriſto Domino Deo noſtro, dare tibi ſanitatis recuperandæ conſilium.

*a Lex Dei uetat à mortuis ueritatem quærere. Deut. 18.*

*b Venit Cõſtant. Romam uocatus literis ſenatus, ut liberaret Rom. non ut tyrannus, ſicut iſte ſycophanta mẽtitur. Succeſsiuè fit motus, ut Rom. Imperator fiat ſeruus Papæ. Idololatra nunquam fuit Conſtãtinus: os impudens & blaſphemũ, quoties repetis mẽdaciũ?*

Audi ergo monita noſtra, & fac quodcunq́ʒ indicamus tibi. Sylueſter epiſcopus ciuitatis ad montem Soracte[b] perſecutiones tuas fugiẽs, in cauernis petrarum cũ ſuis clericis latebras fouet. Hunc cum ad te adduxeris, ipſe tibi pietatis piſcinam oſtendet. In qua dum te tertiò merſeris, omnis te ualetudo iſta deſeret lepræ. Quod cum factum fuerit, hanc uicisſitudinem tuo ſaluatori compenſa. Te autem ipſum in hac parte purifica. (*Picern. Quo facto, hanc retributionem econtrà metire ſaluatori tuo: ut tuis mandatis omnes in orbe terrarum eccleſias renoues. Et tu in hac parte teipſum purga, ut omnẽ idolorũ infelicitatem relinquens*) ut relicta omni ſuperſtitione idolorum, Deum uiuum, uerum, qui ſolus eſt, & uerus, adores, & excolas, & ad eius uoluntatem attingas.

*c Miſſus uidelicet ad Papã, ut Cornelius ad Petrũ, & Paulus ad Ananiam.*

Exurgens igitur à ſomno,[c] protinus iuxta id quod à ſanctis Apoſtolis admonitus ſum, peregi. Aduocatoq́ʒ eodẽ præcipuo & magnifico patre & illuminatore noſtro Sylueſtro, omnia à ſanctis Apoſtolis mihi præcepta dixi uerba. Percunctatiq́ʒ eum ſumus,[d] qui iſti dij eſſent, Petrus & Paulus? Ille uerò ait: Non eos deos uerè dici, ſed Apoſtolos ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti.

Et rurſus

*d Quàm ridiculum fingit Conſtantinum?*

Et rurſus interrogare cœpimus eūdem Sylueſtrum, utrum ipſorum Apoſtolorum imaginem expreſſam haberet, ut ex pictura diſceremus hoc eſſe, quod reuelatio docuerat. Tunc idem uenerabilis pater, imagines eorundem Apoſtolorum per diaconum ſuum exhiberi præcepit. Quas dum aſpicerē, & eorū quos in ſomno uiderā figuratos, in ipſis imaginibus cognouiſſem [a] uultus, ingenti clamore coram omnib. ſatrapibus (*ſatrapis. Perſicè loquitur Conſtant.*) meis confeſſus ſum, eos eſſe, quos in ſomno uideram.

[b] Ad hæc beatiſsimus Sylueſter indixit nobis pœnitentiæ tempus, intra palatium noſtrum Lateranenſe, in uno cilicio; ut omnia quæ à nobis impiè peracta atque iniuſtè diſpoſita fuerāt, uigilijs, ieiunijs atq; lachrymis, & orationib. apud ſaluatorem noſtrū Ieſum Chriſtum impetraremus. [c] Deinde per manus impoſitionē clericorum, uſq; ad ipſum præſulē ueni. Ibiq; abrenuncians ſatanæ pompis, & operibus eius, uel uniuerſis idolis manufactis, credere in Deum patrem omnipotentem, factorem cœli ac terrę, uiſibilium & inuiſibilium: & in Ieſum Chriſtum filium eius unicum, dominū noſtrum, qui natus eſt de ſpiritu ſancto, ex Maria uirgine: ſpontanea uoluntate coram omni populo profeſſus ſum.

Benedictoq; fonte, illic me trina merſione unda ſalutis purificauit. [d] (*Picern. In ſinu autem lauacri poſitus, manum tangentem me à cœlo proprijs oculis aſpexi: ſub qua mundus reſurgens*) Leuatoq; me de uenerabili fonte, indutus ueſtibus candidis, ſeptiformis ſpiritus ſancti conſignationem adhibuit, beati [e] chriſmatis unctione, & uexillū ſanctæ crucis (*Picer. ſeptiformeq́; ſpiritus ſancti ſignaculū unctione, & ſignum ſanctæ crucis meæ fronti ſignauit*) in mea fronte liniuit, dicens: Signat te Deus ſigillo fidei ſuæ in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, in conſignationem fidei. Cun-

*Imaginum uſus non fuit apud Chriſtianos tempore Conſtantini: ut patet in ſcriptis Epiphanij, Lactantij, Naziãzeni, etc. Sed approbatus in cōcilio ſecūdo Nicæno, quo tēpore fabula hæc conficta eſt: & in ſexta ſynodo Conſtant. paulo antè.*

*a Vt Alexander Magnus agnouit Iud. pōtificē, quem ſomnians uiderat.*

*b Philippus apoſtolus citò baptizauit eunuchū. Act. 8.*

*c Dionyſius et Iuſtinus indicant, primò inſtitutos fuiſſe homines in fide, & poſtea baptizatos. Hic autē oblitus ſui, dicit Conſtantinum didiciſſe fidē à Sylueſtro: & uix tandē baptizatus, ad eum admiſſus eſt. Oportebat autem mendacem eſſe memorem.*

*d Vt rex Baltaſ. manum ſcribentem uidit. Dan. 5.*

*e Chriſma & confirmatio: quæ cum baptiſmo dabatur etiamnum Caroli magni tēporibus.*

ctusq; clerus reſpondit, Amen. Et adiecit præſul, Pax tibi.

*Hiſtoria uera, inſerta contra fabulam.*

Conſtantinus baptiſatus eſt in ſuburbano Nicomediæ in Aſia, ab Euſebio epiſcopo ultima ętate: ut Theodoricus & Sozomenes ſcribunt, lib. 3. hiſt. Tripart. Igitur non eſt Romæ baptizatus à Syluestro.

*Applicatio fabuloſi miraculi, ad intentionẽ domini Papæ: ut etiã Steph. 2 fecit.*

*Quoties mẽtitur iſte fabulator cõtra ſanctũ principem?*

Prima itaq; die poſt perceptũ ſacri baptiſmatis myſteriũ, & poſt curationẽ corporis mei à lepræ ſqualore, agnoui non alium eſſe Deum, niſi Deum patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum, quem beatiſsimus Syluester prædicat, trinitatem in unitate, unitatem in trinitate. Nam omnes dij gentium, quos uſque hactenus colui, dæmonia, opera hominum manufacta, comprobãtur.

*Arrigite nũc aures Chriſtiani, quorſum hæc tẽdant. Nunc Paulus obliuioni datur, qui etiam ſanauit.*

*Claues, id eſt, Euangelij præconium: Euſeb. lib. 2. hiſt. Eccleſ. Et omnibus par poteſtas. diſt. 93.*

*Legimus.*

Etenim quantam poteſtatem idem ſaluator noſter ſuo apoſtolo beato Petro cõtulerit in cœlo & in terra, lucidiſsimè nobis idem uenerabilis pater edixit, dum fidelem eum in ſua interrogatione inueniens, ait: Tu es Petrus, & ſuper hãc petram ædificabo Eccleſiã meam, & portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam. Aduertite potentes, & aure cordis intendite, quid bonus magiſter & dominus ſuo diſcipulo adiunxit, inquiens: Et tibi dabo claues regni cœlorum, & quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis. Et dum hęc prædicãte beato Syluestro agnoſcerẽ ex beneficijs ipſius beati Petri, integræ me ſanitati cõperi redditum.

*Codex, qui opera Clementis & conciliorũ quatuor cõtinet, priorem partem uocat Conſtantini confeſsionẽ: hãc, edictum Dn. Cõſtant. imperatoris.*

Inde iam ſequitur palea, quę diſtinct. 96. ponitur, nõ tamen in omnibus exemplaribus. Barth. Pic. ita connectit: *Hæc igitur beato Sylueſtro docente, & beneficentijs ipſius beati Petri integerrimè ſanitatem ſentiens corpori redeuntem, dignum iudicauimus cum omnibus ſatrapis.* Ita fermè & Steuchus. Proſequar tamen textum, ut in Gratiani decreto legimus, obiter annotata interdum uaria lectione.

Conſtantinus imperator quarta die ſui baptiſmatis, priuilegium Romanæ eccleſiæ pontifici contulit: ut

*Et hoc intendit author, ut caput ſit Eccleſiarum Papa. Rorate igitur cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum.*

in toto orbe Romano pontifices uel ſacerdotes ita hũc habeant, ſicut iudices regem. In eo priuilegio ita inter cætera legitur: Vtile iudicauimus (*Steuch. dignũ iud.*) unà cum omnibus [a] ſatrapis noſtris, & uniuerſo ſenatu, optimatibus & cuncto populo, imperio Romanæ eccleſiæ (*Steuch. gloriæ*) ſubiacẽte: ut ſicut beatus Petrus in terris uicarius filij Dei † uidetur eſſe conſtitutus: ita & pontifices ipſius principis Apoſtolorum in terris principatus poteſtatem, amplius quàm terrenæ imperialis noſtræ ſerenitatis manſuetudo habere uidetur, conceſſam à nobis noſtroq́ꝫ imperio obtineant. Eligentes nobis ipſum principem Apoſtolorũ, uel eius uicarios, firmos apud Deum eſſe [b] patronos. (*Steuch. ſucceſſoresq́ꝫ eius ex perſona eius primos apud Deum eſſe patres.*

Et ſicut noſtra eſt terrena imperialis potentia (*Steuch. adoratur & colitur*) ita eius ſanctam Romanã eccleſiam decreuimus uenerãter honorare, & amplius quàm noſtrum imperium terrenumq́ꝫ thronum, ſedem ſacratiſſimam beati Petri glorioſè exaltari: tribuentes ei poteſtatem, & gloriam, & dignitatem, atq́ꝫ uigorem, & honorificentiam imperialem.

Atq́ꝫ decernẽtes ſancimus, ut principatũ teneat tam ſuper quatuor ſedes, Alexãdrinam, Antiochenam, Hieroſolymitanã, Conſtãtinopolitanã, quàm etiam ſuper omnes in uniuerſo orbe terrarum Eccleſias Dei. Et pontifex, qui per tempora ipſius ſanctæ Ro. eccleſiæ extiterit (*Steuch. atq; eũ qui per ætates ſuccedẽtes futurus eſt Ro. Epiſcopus, decet eſſe inſignem*) celſior & princeps cunctis ſacerdotibus, & totius mundi exiſtat.

Et eius iudicio, quæ ad cultum Dei uel fidem Chriſtianorũ, uel ſtabilitatẽ procurãda fuerint, diſponãtur.

Et infrà (*Picern. & Steuch. Iuſtum enim eſt, caput principatus ſanctam habere legem, ubi ſanctarum legum legiſlator noſter beatũ Petrum mandauit apoſtolatus habere cathedram. Vbi crucis lignũ,*



*a E ſomnio expergefactus fortè, ſe Cyrũ regẽ Perſarum putat. Nã ſatrapæ nunquã fuerunt Romæ.*

*† Bene, uidetur: quia non probatum eſt. Id exponit Nicolaus papa diſt. 96. Satis. Deum appellatũ eſſe à Conſtantino Syluest. papam, & c.*

*Patron. ut Gregorius 7. fuit Hẽrichi 3.*

*At Chriſtus ait, Qui ſe exaltat, humiliabitur. Et Virgo Maria, Exaltauit humiles, depoſuit potentes de ſede.*

*Cõtrà 1 lib. Cod. tit. 2. leg. 15. decernimus. & cõſtit. nouell. 131 Et can. 28 concilij Chalced.*

*Lis eſt de paupere regno: quia Turca poſſidet de facto, & de iure Papiſtico non curat.*

*Id petit etiam Iuſtiniani conſtit. ficta.*

*Caue tibi bone Iuſtiniane Cæſar, ne per hanc legem monarchicam, uigorem legum tuarum perdas.*

& ipſe ſuſtinens beatæ mortis poculũ bibit, imitator proprij magiſtri & domini factus. Illic uſque ad finem & continuè magiſtrum quærãt, ubi ſanctum magiſtri corpus quieſcit. Illic gentes pro confeſſione nominis Chriſti colla inclinent: ubi horũ magiſter beatus Paulus pro Chriſto collum extendens, corona martyrij coronatus eſt. Illic ſupini & humiliati cœleſtis regis & Dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti officio ſeruiant: ubi ſuperbè terreni regis poteſtati ſeruiebant. Quorum gratia ſcire uolumus omnes in orbe terrarum gentium populos, quod nos intra Lateranenſe noſtrum palatium templum ereximus, ipſi Saluatori noſtro & Deo & domino Ieſu Chriſto, ab ipſis fundamentis cum [a] baptiſterio. Sciatiſq; & 12 cophinos terræ illuc nos proprijs humeris extuliſſe, æquales numero 12 Apoſtolis. Aedificauimuſq; eccleſias & beatis Petro & Paulo primis apoſtolis, quas argento & auro decentes & ornatas conſtituimus. Vbi & ſacratiſſima ipſorum corpora [b] ſepelientes, magna cum reuerentia thecas ipſis ex electro, cuius nulla elementi potentia eſt fortior, conſtruximus. Crucemq; auri puriſſimi et ex margaritis precioſis factam, per utramq; thecam impoſuimus, aureis clauis affigentes. Quibus eccleſi.)

Exemplum præbuerunt Apoſtoli ſanctiſſ. quod Papis imitari nõ placet.

Nicephorus luculentius de his agit lib. 7. ca. 34.

[a] Fortaſſe hoc baptiſterium oſtentant, in quo ſit Conſtant. baptizatus.

[b] In terra, & nõ in metallis, aut gemmis, ueteres condiderunt corpora ſanctorum: ut etiam Conſtãtinus fecit, Nicephoro teſte.

Ecclesías beatorũ apoſtolorum Petri & Paulí pro continuatione luminarium, poſſeſsionum prædía contulimus, & rebus díuerſís eas dítauimus, & per noſtrã imperialem íuſsionem ſacram tam in oriente quàm in occidente, uel etiam à ſeptentrionali & merídiana plaga, uídelicet in Iudæa, Græcía, Aſía, Thracía, Aphríca, & Italía, uel díuerſís inſulís noſtra largitate eí conceſsimus, ea prorſus ratíone, ut per manus beatíſsimí patrís noſtrí Syluestrí ſummí pontifícis, ſucceſſorumq; eíus omnía díſponantur.

Aug. Steuch. annotauit hæc non eſſe in correctioribus exempl.

Admodũ exiguũ fuit patrimoniũ Apoſtolorũ uel in Calabria, poſt annos 400. ut Paul. Diaconus indicat lib. 21.

Et infrà (Picern. Exultet igitur nobiſcum omnis populus. Omnia in orbe terrarum gentium genera admonemus, ut nobiſcum & ſaluatori noſtro Ieſu Chriſto infinitas gratias confiteantur: quoniam ipſe Deus in cœlo ſuperius, & in terra inferius per ſanctos Apoſtolos cum nos uiſitaſſet, ſanctum myſteriũ baptiſmatis, & corporis ſanitatẽ nos dignos fecit ſuſcipere. Pro quibus etiam præbemus ipſis ſanctis Apoſtolis & dominis meis beatiſſimis Petro & Paulo, & per hos ) Be

Ita quidem Papa Rom. hæres Conſtantini foret, nõ Chriſti. ut beatus Bernhard. ad Eugenium ſcripſit.

ato

ato Syluestro, & omnibus ſucceſſoribus eius de præſenti tradidimus palatium imperij noſtri Lateranenſe. (*Picern. Beato Syluest. noſtro patri & ſummo pontifici, & catholico urbis Romæ Papæ, & omnibus pontificibus ſucceſſoribus eius uſq; ad conſummationẽ mundi, in cathedra beati Petri ſedentibus, & in præſentiarum tradimus, primum quidem Lateranenſe noſtri regni palatiũ, quod omnibus in orbe terrarum palatijs præfertur & eminet*) Deinde diadema, uidelicet coronã capitis noſtri, ſimulq́ phrygium: nec nõ ſuperhumerale uidelicet lorũ, quod imperiale circundare collum aſſolet. Verùm etiam & chlamydem purpureã, atq; tunicam [a] coccineam, & omnia imperialia indumenta, ſeu etiam dignitatem imperialem præſidentiũ equitum. Conferentes ei etiam imperialia ſceptra, ſimulq́ cuncta ſigna atq; [b] bãna, & diuerſa ornamenta imperialia, & omnẽ proceſsionem imperialis culminis, & gloriam poteſtatis noſtræ.

[c] Viris etiam diuerſi ordinis reuerendiſsimis, clericis ſanctæ Rom. eccleſiæ ſeruientibus, illud culmen ſingularis potentiæ & præcellentiæ habere ſancimus, cuius ampliſs. noſter ſenatus uidetᷣ gloria adornari. L patricios & conſules effici: nec non & cæteris dignitatibus imperialibus eos promulgamus decorari. Et ſicut imperialibus extatᷣ decorata militia: ita clerũ ſanctę Rom. eccleſiæ adornari decreuimus (*Picern. id eſt, patricios & cõſules ipſos effici, & c. & ſicut imperialẽ exercitũ, ſic & clerum, &c.*) Et quemadmodum imperialis potẽtia diuerſis officijs cubiculariorum, nec non oſtiariorum, atq; omniũ concubitorũ (*Picern. & excubitorum*) ordinatur: ita & ſanctã Rom. eccleſiam decórari uolumus. Et ut ampliſsimè pontificale decus præfulgeat, decreuimus, ut clerici eiuſdem Rom. eccleſię mappulis (*manipulis, uel tegumentis*) & linteaminibus, id eſt candidiſsimo colore decoratos [d] equos equitẽt. Et ſicut noſter ſenatus calceamẽtis utitur cũ ulonib. (*Steuch. udonibus. ὀδόνας, τουτέσι, λουκωτάξη*

Nicolaus Cuſa: Nunquã legi aliquẽ Rom. pontificũ uſq; ad tẽpora Steph. 2. aliquid iuris habere in illis locis præſumpſiſſe.

Bene inueſtitur curia Rom. ex Camera imperij.

Diadema, id eſt, coronã: Valla ut malè latinum caſtigauit. Phryg. Steuch. tegmen capitis ſiue mitram exponit.

a Vt Chriſtus ornatus fuit ab Herode & Pilato.

b Banna, uel banta, inſignia imperatoris procedẽtis, ueluti uexilla. Gothi uidentur in Italiã intuliſſe Van, & baner. Alij pandum uocant.

c Hierarchia & σύταξία Eccleſ. Rom. ut diſt. 22. diſcretis. Aliter autẽ Deus ordinauit gradus eccleſiaſticos, per Moſen, et Paulũ et Chriſtum: aliter Papa, ethnico more.



d Nunc mulis & aſinis utuntur uiri humiles et modeſtiſsimi.

ὀθόνῃ, *linteum amiculum candidiſs.*) id eſt, candido linteamine illuſtrentur. Et ita cœleſtia, ſicut terrena, ad laudē Dei decorentur. Præ omnibus autem licentiam tribuimus beato Sylueſtro, & ſucceſſoribus eius, ex noſtro indicto (*St. indictu*) ut quem placatus proprio concilio clericali (*St. prop. concilio clericare*) uoluerit, & in religioſorū numero clericorum cōnumerare[a], nullus ex omnibus præſumat ſuperbè agere. Barth. Pic. hunc locum & copioſius & lucidius eloquitur.

Decreuimus itaq; & hoc, ut ipſe & ſucceſſores eius diademate, uidelicet corona, quam ex capite noſtro illi conceſsimus, ex auro puriſsimo, & gemmis precioſis uti debeat, pro honore beati Petri. Ipſe uerò beatiſs. Papa, ſuper[b] coronā clericatus, quā gerit ad gloriam beatiſs. Petri, ipſa ex auro non eſt paſſus uti corona. Phrygium uerò candido nitore ſplendidū, reſurrectionem Dominicā deſignans, eius ſacratiſsimo uertici manib. noſtris impoſuimus. Et tenentes frenū equi ipſius, pro reuerētia beati[c] Petri, ſtratoris officiū illi exhibuimus: ſtatuētes, eodē phrygio omnes eius ſucceſſores ſingulariter uti in proceſsionib.[d] ad imitationē imperij noſtri.

Vnde, ut pontificalis apex non uileſcat, ſed magis quàm terreni imperij dignitas, gloria & potentia decoretur:[e] ecce tam palatiū noſtrum, quàm Rom. urbem & omnes Italiæ ſiue occidentalium regionum prouincias, loca, ciuitates, beatiſsimo pōtifici & uniuerſali Papæ Sylueſtro cōcedimus atq; relinquimus, & ab eo & à ſucceſſoribus eius per pragmaticam conſtitutionem decreuimus diſponenda, atq; iuri ſanctæ Rom. eccleſiæ concedimus permanenda. Vnde congruum perſpeximus,[f] noſtrum imperium & regiam poteſtatem oriē

talibus

*A' uertice ad calcem Rom. clerum ueſtit bonus Conſtāt. Atqui Paulus & Petrus, et Hieron. aliū ornatū requirunt: & Dominus dicēs, Luceat lux ueſtra corā hominibus.*

*a Leges Rom. principū definierunt, qui nam poſſint munera publica militiæ aut pacis intermittere.*

*b Corō. cler. tōſura eſt, de qua Durādus. Potius ethnicorū ſacerdotū. Cæterùm Papæ nūc patiētiores, geſtāt triplicē coronam.*

*c Petrus iniquè tulit, cū adoraret eū Cornelius cēturio. Et nūc imperatoris ſeruitium ferret?*

*d Satius erat imitari Chriſtum.*

*e Hæc omnia teſtamento Conſtant. reliquit 3 filijs, & 2 nepotibus, ut Eutropius, & alij teſtantur. Ita Grylli teſtamentum hoc nullum eſt.*

*f Sedem imperij duntaxat tranſtulit, nō Papæ Romam tradidit. Sicut Clemens 5 cathedrā Auenioni collocans, pontificatus apicem retinuit.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-765435-p0144-1

talibus transferri regionibus, & in Byzantiæ (*Pic. urbi Bizantio*) prouinciæ optimo loco nomini noſtro ciuitatē ædificare, & noſtrum illic imperium conſtitui. Quoniā ubi principatus ſacerdotum, & Chriſtianæ religionis caput ab imperatore cœleſti conſtitutum eſt, ut illic imperator terrenus habeat poteſtatem, iuſtum non eſt.

Hæc uerò omnia, quæ per hanc imperialem ſacram, & per diualia decreta ſtatuimus, & confirmamus, uſque in finem mundi illibata & inconcuſſa permanere decreuimus.

Vnde corā Deo uiuo, qui nos regnare præcepit, & coram terribili eius iudicio obteſtamur omnes noſtros ſucceſſores imperatores, uel cunctos optimates, ſatrapas, etiam ampliſsimum ſenatum, & uniuerſum populum in toto orbe terrarū, nunc & in poſterum, nulli eorum quoquo modo licere aut hæc confringere, uel in quoquam conuelli.

Si quis autem, quod nō credimus, in hoc temerator aut contemptor extiterit, æternis condemnationibus ſubiaceat innodatus: & ſanctos Dei principes apoſtolorum Petrum & Paulum ſibi in præſenti, & in futura uita ſentiat contrarios: atque in inferno inferiori concrematus, cum diabolo & omnibus deficiat impijs.

Huius uerò imperialis decreti paginā proprijs manibus roborantes, ſuper uenerandum corpus beati Petri poſuimus (*Picer. Illic Dei Apoſtolo promittentes, illibata nos hæc omnia conſeruare, & noſtris ſucceſſoribus & imperatoribus per noſtra mandata conſeruanda relinquere: & beato patri noſtro Syluestro & catholico Papæ, & per ipſum omnibus eius ſucceſſoribus pontificibus domino & Deo & ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto placidè annuēte, æternè & feliciter his hæc in poſſeſſionē futura, imperiali ſubſcriptione. Diuinitas uos cōſeruet in multis annis ſanctiſs. & beatiſsimi patres*) Data Romæ, tertio Cal. Aprilis, à Conſtantino Auguſto quarto cōſule, & Gallicano IIII conciliо.

*Deus Romā conſtituit caput religionis. Id probetur. Ideo imperator Rom. nullam illic habet poteſtatē et ius. Atqui Philip. et Fabianus, etc. ſimul egerunt. Eſt'ne hæc bonæ fidei poſſeßio?*

*Si Deus præcepit ut regnes, cur non ei obtemperas? cur regni max. partem in alium incōpetētem regem trāſfers?*

*At Mahumedici occuparūt ſedes patriarchales.*

*Mitior eſt & religioſior obteſtatio Cyri, Darij, Nabuchodon. in ipſorum diplomatibus, in Da. & Eſdra. Huic autē ſimilis diſt. 23. papæ Nicol. ut uno ſpiritu ſæuiant.*

*Optimè cautum eſt Papis in æternū hoc diplomate uidelicet.*

Quod

## QVOD FL. CONSTANTINVS HANC PAGI-*nam Donationis non publicauerit, ſcripſerit, dederit, conceſſerit, Demonſtratio.*

